

Biblioteca  
ASTRA, Sibiu

92 P.C.N.  
105

12.  
SIN 2013

No 2697. ad Theology

E.  
58.

9

THESES  
EX UNIVERSA  
THEOLOGIA  
SCHOLASTICA,

QUAS

In Alma, Cæsarea, Regia, & Episcopali  
Universitate Olomucensi  
Societatis JESU,

P R Æ S I D E,

*Reverendo, ac Eximio Patre,*

P. LUDOVICO  
LISSOWSKY

Societatis Jesu SS. Theologiæ Doctore,  
ejusdemque in præfata Universitate  
Professore Publico & Ordinario, nec non  
Facultatis Theologiæ Seniore,

*Pro Licentiatu, & Suprema Doctoratûs Theologici  
Laurea, Publicè defendendas suscepit,*

REVEREN: DOCTISS: ac EXCELLENS

D. JOANNES HENRICUS  
NEUDEK,

Silesius Warthenfis, AA. LL. & Philosophiæ  
Magister, SS. Theologiæ Baccalaureus  
Formatus,

Anno M. DCC. Mense                      Die  
horis ante & post Meridiem consuetis.

CUM LICENTIA ORDINARII.



*E 37.*

*3255  
3727.*

SUB AUSPICIIS

*Reverendissimi & Illustrissimi*  
DOMINI DOMINI

FRANCISCI  
JULIANI

Sacri Romani Imperii COMITIS

BRAIDA,

DE

RONSECCO & CORNIGLIANO

Hæreditarii Domini in Haintzenburg, &c.

Cathedralium Ecclesiarum Olomu-  
censis & Wratislaviensis

CANONICI,

ET

CAPITULARIS.

*Reverendissimi & Serenissimi*

PRINCIPIS

EPISCOPI WRATISLAVIENSIS

CONSILIARII & CONSISTORIALIS.

DOMINI DOMINI

MECOENATIS

ac

PATRONI

SUI GRATIOSISSIMI



REVERENDISSIME  
 AC  
 ILLUSTRISSIME  
 DOMINE DOMINE  
 COMES,  
 PATRONE  
 OBSERVANDISSIME.



Rævolavêre , sicut  
 etiamnum recordaris ,  
 ad aucupandos Illustris-  
 simos favores Tuos mei  
 Angeli , Meccœnas ac  
 Patrone Gratosissime ; quos sub Tu-  
 is non pridem auspicijs defensos , in  
 Tuam pariter gratiarum Aulam Olo-  
 mucena Universitas ablegavit. Cre-  
 debam ego illos pro officio suo fore  
 veloces nuntios , qui testes meæ ,  
 erga Reverendissimam & Illustrissi-  
 mam

mam Dominationem Tuam, obligationis deferrent literas : Scholastico quidem exaratas in pulvere, at ferreas si Tua ijs munificentia præstaret securitatem ; cùm interim Tu, non solum pennatâ ad literatis animis gratificandum promptitudine illos excepisti ut hospites, verùm ut domesticos coluisti, Cœlorum ceterùm Palatinos. Urebat tamen nonnulla adhuc timidè fidentem sollicitudo, an non conatus ille meus pro prima Theologiæ laurea Tibi dedicatus ceciderit forsân in irritum, an non illa *fax mentis honestæ* tota Tuis inardescens honoribus, in conspectu Aviti splendoris Tui novâ semper in dies sapientiâ & consiliô plurimùm cumulati, obtenebrata, aut extincta penitus, Tuæ Gloriæ incinerata sit in trophæum ? postquam verò à Tuis, Tuoque imprimis beneplacito sincerius intellexissem, Angelos meos bono admodum loco esse accommodatos, hanc mihi & illis gratulatus fortunam, dixi, quod diceret aut deberet æquali beneficiô

ciô præventus cliens : Grates ha-  
beo , Patrone & Fautor Colendiffi-  
me , per Te cœlitus in me imme-  
rentem derivatas ; hoc unum dolet,  
quòd pares referre nequeam , tum  
ob purissimas Divinæ mentis scin-  
tillas , viventes de sempiterno lumi-  
ne faculas , svavifonos superni Odei  
choraulas , primùm intrâ Benevo-  
lentiæ Tuæ hospitaes sedes benignè  
admissos , tum ob eos hætenus tam  
gratosè conservatos. Et his Gra-  
tiarum favonijs in Tuum deducta do-  
micium , ceu terram promissionis ,  
præfente demum annò , verè San-  
cto , tota quanta Theologia mea in-  
gressum flagitat , & nimium peregri-  
na aliàs , nisi eodem recipiatur , ex-  
pectat. Nec miraberis , recto adeò  
calle accedentem divinarum Artium  
Reginam ; domi Tuæ alis innocuos  
beneficiorum Tuorum proditores ,  
qui eam ( sunt enim Cœlestes Spiri-  
tus ) Tuâ veniâ vehementer animant,  
imò dignissimis munificentæ Tuæ  
præconijs , & monstratâ , quam tot  
Reverendissimæ & Illustrissimæ tuæ  
Domi-

Dominationis , pedisequi , seu Tua  
*Virtute Duce* , seu *Fortunâ Comite* , felicitè ambulârunt , viâ , illi hodie ad  
novas gratias salvum conductum pollicentur. Sed licèt abesse fingerem  
beatos illos genios , nec sollicitô illorum annutu mea se Theologia sub  
Tuum rursus ingereret præsidium , haberet tamen , cùm scientijs reliquis  
regali quadam eminentiâ , *velut inter ignes Luna minores* , antecellat ,  
unde etiam motu propriô Tua limina congruentiùs exambiret. Quid enim ?  
Certè eam non ampliùs tam novellam putem , ut medio vix itinere  
delassata frondosas tantùm eruditæ Laureæ anhelet umbras , quæ  
non tam meo , ac Tuo matura arbitrio post legitimè consummatum  
cursum , tandem contendit ad Coronam. Musarum Principem unà cum  
ipsis Musis suô clausurit quondam annulo Rex Epirotarum Pyrrhus ,  
liberali magis honorum impendio apud Te decorantur Artes ; quas  
ille studiô nimis levi cultas solis portabat in manibus Castalias Deas , Tu  
fidei




fideli custodiâ continuò circumfers  
oculis , & tot facis , quot suspicis ,  
sapientes ; illæ versatili digitorum  
imperio se stiterunt ancillas , Tu fir-  
mis Theologiam meam oraculis Or-  
bi Reginam sistis , cui nè deesset ca-  
pitis ornamentum , provida Tibi  
olim Lucina mox in Cunis gentili-  
tjis præparavit Coronam , quâ be-  
ne meritos Sophorum vertices finè  
invidia redimires. Dedere multis  
mœnia expugnata Coronas , multis  
captivatæ naves , nonnullis servati  
cives , multorum ipse finis coronat  
opus ; mihi tamen novô paradoxô  
Tua Corona meum coronabit fi-  
nem , eo quoque ex capite non ha-  
bitura devinctissimæ meæ Grati-  
tudinis terminum , si principio Tuorum  
favorum idem finis corresponderit.  
Spectavit septicollis Roma venales  
sub hasta servos , diversis subinde  
Dominis coactè affigendos , at Ju-  
liomontium individuus obsequijs Ti-  
bi consecratum sub Corona admira-  
tur libertum ; utrisque aperitur ad  
luctam

luctam campus , illis fatali taxo ,  
mihi vitali Tuâ Palmâ ominosus. De-  
certant illi pro Aris & focis , ut mar-  
cescibilem accipiant Coronam , cer-  
tabo & ego , ut priùs tuis faventif-  
simis auspicijs jam obtentam , non  
accipiat alter , donec pro D E O ,  
& Patria Tuæ Illustrissimæ Originis  
promptissimus Domino meo servus  
stem aut cadam.

REVERENDISSIMÆ  
AC ILLUSTRISSIMÆ  
DOMINATIONIS  
TUÆ

*Clientum infimus*

Joannes Henricus Neüdek.




# THESIS I.

## *Existencia DEI.*

**D**EUM esse, veritatem non per se immediatè quoad nos notam ex sola connexionè & apprehensione horum terminorum DEUS est, compos rationis invincibiliter ignorare diu non potest: *exceptis enim paucis in quibus natura nimium depravata est, universum genus humanum DEUM mundi hujus fatetur authorem S. Aug. 106.* Joan. Quo sensu congenita est hominibus radicalis notitia de existentia DEI: seu lumen rationis datum est, neque principia desunt ex quibus facillimo discursu deducere hanc existentiam quisque possit. Et in his æquivalenter cuivis est nota: dum saltèm mediatè *omnes homines vident eum, unusquisque intuetur procul Job. 36. v. 25.* Nos DEUM demonstramus à posteriori frustra recurrente atheo ad seriem infinitam, extra quam totam entium productorum seriem ens quoque improductum & productivum omnium assignari debet: ut quia singulæ ab alio factæ sunt, tanquam sibi insufficientes ad existendum, legitimè arguamus totam causarum seriem ab alio productam esse & sibi insufficientem ad existendum. Velut si centum famelicis infinitos famelicos pari cum fame adjungamus, ad quam sublevandam singulis alieno pane sit opus: additio nostra non tollit indigentiam alieni subsidij, sed auget indigentiam panis quo tandem  
A omnes

omnes saturentur. *In rationibus autem in quibus demonstratur DEUM esse, non oportet assumi pro medio Divinam essentiam sive quidditatem ut secunda ratio proponebat 1. Gent. c. 12. ad 2. (apud Franc. de Silvest. Ferrar. hic in comment. respondet S. Thomas negando, quòd - oporteat assumi Divinam essentiam) sicut non oportet quòd ipsa increata veritas à nobis per essentiam videatur q. 10. de verit. a. II. ad 12. estò sit clarè visibilis per essentiam. Neque ( dum loco quidditatis accipitur pro medio effectus ad probandum DEUM ) oportet accipere effectum, aut oportet non accipere Divinam essentiam. Sponte fatemur non necesse quidem esse existentiam DEI demonstrari ex prædicatis DEO intrinsicis, evidenter tamen eam probamus ex conceptu objectivo entis optimi quo melius nihil cogitari possit; ut S. Anselmus fecit Prosol. c. 2. ubi sic: certè id quo majus cogitari nequit, non potest esse in intellectu solo; si enim vel in solo intellectu est, potest cogitari esse & in re quod majus est. Si ergo id quo majus cogitari non potest est in solo intellectu, id ipsum quo majus cogitari non potest est quo majus cogitari potest. Sed certè hoc esse non potest; existit ergo proculdubio aliquid quo majus cogitari non valet, & in intellectu & in re. Porro conceptus entis optimi, excludens omnem essendi repugnantiam & contingentiam, involvit omnes perfectiones simpliciter simplices: ut quia conceptus objectivus solam quidditatem involvit, omnes de ente optimo pariterque singulæ de DEO prædicari cum veritate possint. Has inter actualem, necessariam, realem existentiam numeramus: quòd melius sit semper à parte rei esse, quàm esse non posse, vel nunquam esse, vel posse non esse, vel esse in sola apprehensione nostra. Perfectionem verò simpliciter simplicem eam vocamus, quæ in quolibet melior est ipsa quàm non ipsa; quod*

quod non habent Personalitates Divinæ, sed ex ratione intrinseca oppositionis repugnat convenire duas Relationes oppositas in una Persona: ac proinde neutra ex duabus melior est quàm esset Relatio opposita. Quia tamen *homo per rationem naturalem in cognitionem DEI pervenire non potest nisi ex creaturis* S. Th. 1. p. q. 32. a. 1. ☉. creaturæ habent se tanquam medium apprehensionis, quâ intellectus sibi formet conceptum entis optimi: hic verò conceptus in discursu habet se tanquam medium, ex quo demonstramus existentiam actualem DEI. Terminum complexum in discursu nostro adhiberi (qui non absolutum assensum fundant, sed tantum conditionatum) nihil obstat dummodo conditio teneat se penes subjectum complexum, sitque hic sensus: ens optimum si optimum est existit, sicut Cajus currens movetur si currens est. Verum cum nulla essentia creata existentiam quâ talem involvat in conceptu suo, ut sine hac possit objectivo conceptu apprehendi cursus: non bene infertur physicè moveri Cajum, quòd motum tribuamus Cajo si currens est. Unde volumus affirmare solum motum respondentem cursui: utque si cursus est tantum apprehensus, eadem ratione motus ex cursu sit tantum apprehensus. Repugnat autem dari conceptum objectivum entis optimi quo melius nihil cogitari potest, si absque actuali existentia apprehensum fuit; & quia excludit repugnantiam hujus existentia, discursus probat non esse chimericum sed possibile: quia non minus excludit contingentiam, probamus DEUM non posse non esse.



# THESIS II.

## *Essentia & simplicitas DEI.*

**E**ssentia DEI metaphysica, quæ ratione nostrâ sit primum constitutivum ac distinctivum DEI, & radix omnium quæ concipi possunt in DEO, est ESSE absolutè sumtum. *Quod est nomen ejus? - Dixit DEUS ad Moysen Ego SUM QUI SUM* Exodi 3. v. 13. & 14. Et quamvis analogè creaturis conveniat esse ens prout exclusivum nihili limitato modo, non tamen convenit esse ens prout exclusivum nihili adæquatè: sicut in DEO est ESSE simpliciter, ac oppositum omni non enti. Sic forma substantialis auri dat esse simpliciter actuando materiam tantum in una ratione compositi, consequenter solum non aurum excludit; quo excluso aurum est adhuc non lapis non planta, omniumque entium ab auro distinctorum in entitate sua finita negationem involvit. Cùm verò Aseitas tanquam ex sua radice immediatè deduci possit ex ESSE simpliciter: est proprietas prima in nostro cognoscendi modo, non tamen essentia ut metaphysicè sumta. Non minus infinitum esse est tantum conceptus attributalis; seu qui essentialem supponat. Idem est quoad intellectivum esse; quod novum aliquid ratione nostrâ superaddit alteri, ut tanquam priorem præsupponat conceptum illum cui novum prædicatum explicita hæc perfectio superaddit. Vice versâ cùm omne attributum ita sit primum, ut ante se nullum aliud prædicatum habeat in sensu reali: quoad hunc sensum omnia & singula sibi sunt prima negativè. Quod si positiva prioritas attendatur, nullum est primum in sensu reali ut radicem agat; sed tota omnium collectio æquè primò intrat essentiam physicam

ficam DEI pro statu reali sumtam, ut simul comple-  
 ctatur omnia & singula prædicata. *DEUS* verò mul-  
 tipliciter quidem dicitur magnus, bonus, sapiens, bea-  
 tus, verus, & quidquid aliud non indignè dici videtur;  
 sed eadem magnitudo ejus est quæ sapientia - & eadem  
 bonitas quæ sapientia & magnitudo, & eadem veritas  
 quæ illa omnia S. Aug. 6. Trin. c. 7. Dúmque non inter  
 se tantùm identificantur hæ perfectiones DEI, sed  
 quodvis attributum includitur in substantia ut vicissim  
 Divinitas sit de essentia singulorum: *quidquid tale de*  
*DEO dixeris, in hoc verbo instauratur quod est EST.*  
*Nempe hoc est ei ESSE, quod hæc omnia esse. Si &*  
*centum talia addas, non recessisti ab ESSE: si ea dixeris*  
*nihil addidisti, si non dixeris nihil minuísti* S. Bern.  
 5. de confid. c. 6. Neque in DEO distinguuntur ex  
 limitato esse, cùm nihil limitatum habeant prædicata  
 DEI: & nulla relativa oppositio in perfectionibus ab-  
 solutis datur, vi cujus distingvi inter se possint. Me-  
 lius quoque est sinè compositione modo inseparabili  
 & indefectibili habere identificatas inter se omnes  
 perfectiones suas, quàm eas habere physicè unitas si-  
 ve separabiliter ac defectibiliter. Unde quod simplex  
 est, nulli distincto intra se debet hoc esse: dum tamen  
 compositum ab intrinsicis causis & quidem limitatis  
 pendet, ut quævis partium excludat alteram à sua en-  
 titate. Juxta nos DEUS est *simplex omnino* cap.  
*Firmiter.* & cap. *Damnamus.* de summa Trinit. ex La-  
 ter. IV. Oecum XII. sub Innoc. Papa III. *Non est com-*  
*positus DEUS, merum simplex est - tam simplex DEUS*  
*quàm unus est - nihil in se nisi se habet* cit. S. Bern. c. 7.  
 Stante hac summa simplicitate DEI quod uni attribu-  
 ro convenit, affirmari cum veritate potest etiam de  
 reliquis sumtis in sensu reali: ac proinde nulla distin-  
 ctio virtualis intrinseca datur in DEO ut unus est.  
 Imò si omnis relativa oppositio extremorum infert in

fuis extremis distinctionem realem, magis hanc dicet oppositio extremorum contradictoria quæ sine comparatione major est. Sicubi verò dicitur Domini Sapientia sapientem, magnitudine magnum, Divinitate DEUM esse & alia hujusmodi: credimus non nisi eam Sapientia qua est ipse DEUS sapientem esse - id est seipso sapientem, magnum, æternum, unum DEUM Conc. Rhem. sub Eugen. Papa III. in symbolo Fidei contra Gilb. Porret. Quòd si essentiam à Sapientia DEI, & quovis attributo virtualiter distingvamus: nemo jam dicet formaliter per essentiam suam, adeoque seipso sapientem esse. Cùm tamen cognoscamus DEUM ex rebus creatis: sicut in nobis est prior cognitio quàm volitio, ità per solam prioritatem extrinsecam rationis prius cognitionem quàm volitionem DEI concipimus, licet ex parte objecti sint omnino idem. Et quando intellectus conceptu abstractivo DEUM in via apprehendit instar solius misericordiae creatæ, non eodem explicito conceptu potest cognosci ut infligens pœnam; sed sumtæ realiter, tam misericordia quàm justitia DEI punit. Hinc propter diversam connotationem salvari possunt, quæ DEO tribuimus prædicata contradictoria: & quia connotata creatæ distingvuntur, indè nos quoque per actum intellectus distingvimus prædicata DEI, ut talis distinctio sit extrinseca tantum non tamen præcisiva objective.

## THESIS III.

### *Visio beatifica ut possibilis.*

**P**urus Spiritus ità est extra objectum omnium sensuum, ut neque inchoatam virtutem in eis agnoscamus ad intuendum DEUM: ex cujus defectu impossibile est DEUM videri sensu visus, vel quocum-



quocunque alio sensu, aut potentiâ sensitivâ partis S.  
Th. 1. p. q. 12. a. 3. ☉. Intellectus tamen capax est hu-  
jus visionis, quo elevato *in carne mea videbo DEUM  
meum* Job 19. v. 26. & Hominem - DEUM etiam in  
carne per carnem: *scio enim quod Redemptor meus vivit*  
v. 25. Ut paucis exprimamus: *DEUM nemo vidit un-  
quam* Joan. 1. v. 18. *sed nec videre potest* 1. Tim. 6. v. 16.  
per sensus, aut nullâ virtute naturali videri potest nec  
visus est unquam, vel nunquam comprehendi à crea-  
tura potest; sed postquam intellectus fuerit in Patria  
elevatus ad altioremodum operandi, *videbimus  
sum sicuti est* 1. Joan. 3. v. 2. *facie ad faciem* 1. Cor. 13.  
v. 12. Quod DEUS infinite à creatura distet in sua  
Divina substantia, fatemur solum à nullo intellectu  
creato comprehendi posse; ut cum S. Chrystomo  
probant PP. contra Anomæos, falsò putantes in  
mortali adhuc vita naturali virtute comprehendi  
DEUM. Sic autem intellectus in entitate distat à  
DEO, ut tamen proportio habeatur quæ sit in ratio-  
ne potentiæ ad suum objectum, consequenter omnis  
intellectus creatus elevari ad visionem possit: aut  
æquè implicaret cognitio abstractiva DEI, seu entis  
infiniti. Summum arguitur ex hac distantia visionem  
extrinsecè fore infinitam, seu ad infinitum objectum  
terminatam. Unde non tota perfectio entitativa de-  
sumitur à solo objecto quod attingit actus, sed penes  
intrinsicam virtutem potentiæ & modum tendendi  
quo objectum tangit: ut quando objectum infinitum  
actus repræsentat finito modo, sit quidem altioris or-  
dinis sed tantum finitus. *Gratia autem DEI vita  
æterna* Rom. 6. v. 23. *hæc est autem vita æterna, ut co-  
gnoscant te solum DEUM verum* Joan. 17. v. 3. Juxta  
quos textus scripturæ visio creata DEI est actus super-  
naturalis, neque per lumen naturale demonstrari po-  
test in quantum possibilis. Verum est intra adæqua-

eam sphaeram intellectus creati contineri DEUM ut  
clare visibilem in substantia sua, id tamen ratione na-  
turali nobis non constat. Et quia abstractiva cog-  
nitio intellectus nostri est actus perfectior visione cor-  
poreâ seu purè sensuali, excederet intellectus visum  
ac omnes potentias sensitivas quamvis DEUM tan-  
tùm abstractivè cognosceret: ut nondum demonstre-  
tur capacitas intuendi DEUM, quòd suum objectum  
intuitivè attingat visus. Aut DEUM naturali virtu-  
te contemplari posset, quæ virtus oculo corporeo  
sufficit ad claram visionem lucidi colorati. Neque  
omnis perfectio inferiori conveniens qualis est visus,  
inveniri in intellectu debet quòd visum excedat: sicut  
scientia naturalis evidentiam petit in suo assensu,  
quam excludit Fides Theologica sive actus perfectior  
hac scientiâ. Licet id quoque admittamus in intelle-  
ctu: potest in illo sufficere naturalis capacitas quâ so-  
lam creaturam tangat, non tamen probatur evidenter  
capacem esse ad claram visionem DEI. Cùm autem  
visio beatifica sit actus supernaturalis: *quamvis non  
omnis beata possit esse creatura - ea tamen quæ potest,  
non ex seipsa potest quia ex nihilo creata est, sed ex illo à  
quo creata est* S. Aug. 12. civ. c. 1. Dùmque singulas ex ni-  
hilo DEUS crearet: absolutè repugnat poni in rerum  
natura substantiam creatam, quæ virtute propriâ & sibi  
naturali sicut in se est DEUM videat. Naturalis insuper  
modus cognoscendi sequitur naturalem in cognoscen-  
te modum essendi: ut quia Divinitas infinito gradu ex-  
cedit omnem creaturam possibilem in modo essendi,  
non minori gradu excedat visibilitas Divina modum  
cognoscendi prout naturalem cuicunque substantiæ  
creatæ, aut intellectui absolutè possibili. Non ta-  
men impeditur cognitio abstractiva DEI quam sibi  
creatura comparat per species alienas, quando hic  
actus objectum aliter cognosci facit quàm modus es-  
sendi

sendi in objecto petat; sed clara visio distinctè summū  
objectum exprimit sicut est, nulla virtute naturali vi-  
dendum si modus essendi quem cognoscens habet in  
tali objecto naturalem essendi modum non æquat.  
Dum verò intellectus ut elevatus agit, est agens su-  
pernaturale: neque in modo cognoscendi quo intue-  
tur DEUM, cum modo naturali essendi conformari  
debet. Quod totum complexum est finitum quidem,  
ut semper complexum perfectius & perfectius produci  
possit: non tamen substantia, quæ identicè illud adæ-  
quet per naturam suam. Sic DEUS potest producere  
hircum & cervum limitatos in entitate sua, hircoc-  
ervum tamen non potest.

## THESIS IV.

### *Intellectus ut elevatus ad visionem Dei.*

**S**olâ virtute naturali videri DEUS non potest, seu  
nisi creaturam ad visionem sui elevant. Ad quam  
intellectus defacto elevatur per intrinsicum sibi  
lumen gloriæ, ut damnatus sit in Conc. Vienn. OEcum.  
XV. sub Clemente V. hic error Beguardorum & Be-  
guinarum Alemanix: *anima non indiget lumine glo-  
riæ ipsam elevante ad DEUM videndum, & eo beatè  
fruendum* Clem. cap. *Ad nostrum*, de hæret. Di-  
ctum lumen virtutem intellectus creati completex  
parte potentix: ut propterea illud distingvamus à  
speciebus impressis quæ nullam virtutem conferunt ad  
agendum, sed concurrunt tantum ex parte objecti to-  
tam activitatem potentix supponendo. Satis quidem  
est DEUM conjunctum esse intellectui per substan-  
tiam suam ut totus concursus objectivus haberi possit,  
adeoque fatemur non requiri lumen vi cujus Divini-

tas reddatur visibilis: ut tamen defacto potentia visiva fiat, per lumen supernaturale tanquam per formam Beato intrinsecam compleri debet. Sic visus nocturnus quia non potest virtute naturali videre solem, ad solis visionem auctâ oculorum acie confortandus esset; sol verò ex parte concursus objectivi nullo indiget superaddito lumine, sed visum terminare potest ut clarè visibilis per intrinsecam sibi lucem. Neque impeditur immediata DEI visio, quòd mediet virtus videndi: sicut licet omnia mediante oculo per sensum videamus, adhuc per illum immediatè homo videt in quantum oculus non mediat nisi ut virtus videndi. Quia tamen *erroneum est dicere DEUM non posse facere per seipsum omnes determinatos effectus, qui fiunt per quamcunque causam creatam* S. Th. 1. p. q. 105. a. 2. ☉. in omni effectu non vitali DEUS per suum concursum immediatè supplere potest, quod causa secunda non vitalis daret: ut sinè qualitate intrinseca per auxilium & assistentiam purè extrinsecam elevare posset intellectum ad visionem sui. *Sicut potest aliqua corpora perducere ad effectus, quorum dispositio in prædictis corporibus non invenitur (sicut Petrum fecit super aquas ambulare sinè hoc, quòd ei dotem agilitatis tribueret) ita potest mentem ad hoc perducere, ut Divinæ essentiae unitur in statu vitæ modo illo quo unitur sibi in prima, vel juxta alios in Patria, sinè hoc quòd à lumine gloriæ perfundatur* S. Th. q. 10. de verit. a. 11. ☉. Eum in finem intellectus habet virtutem inchoatam videndi DEUM, quam ex Divina gratia augeri docet ut lumen *superaddatur & superaccrescat* 1. p. q. 12. a. 5. ☉. quis autem virtutem intellectus augeri dicat, si nullam antea virtutem habuit cui nova superaddatur & superaccrescat. Casu quo tandem accedat specialis concursus Dei, jam modum altiozem agendi creaturæ confert ut actu elevetur. Unde non supplet carentiam virtutis intrinsecæ

# THESIS V.

## *Intellectus eliciens visionem DEI.*

**D**Eus per lumen gloriæ juvat intellectum ad visionem sui: dum autem aliquis adjuvatur, suâ quoque actione influit cum suo adjutore. *Ipsium nomen adjutoris præscribit tibi quia & tu ipse aliquid agis - si non esses operator, ille non esset cooperator* S. Aug. Ser. 13. de verb. Apost. c. 11. De quo supernaturali modo perandi Apostolus universim dixit 1. Cor. 15. v. 10. *non ego autem sed gratia DEI mecum*; interprete S. Aug. *nec gratia DEI sola, nec ipse solus, sed gratia DEI cum illo* de gr. & libero arb. c. 5. ut postquam intellectus supponitur elevatus ad visionem DEI, effectivè influat etiam per suam entitatem. Lumen est quidem principium proximum, non tamen adæquatum; sed coalescunt simul ut duæ partiales causæ in unam totalem. Non dicuntur autem partiales quasi non totam singulæ producant totalitate effectûs (sive ut lumen gloriæ prædicatum unum ponat, intellectus alterum) sed quævis earum visionem producit totam, non tamen totaliter quantum ex parte influxûs: dum per virtutem suam neutra seorsim sufficit, ut actum vitalem supernaturalem producat sola. Dum autem visionem elicit intellectus prout elevatus, sensus est nunquam elici visionem antequam ad eam elevetur; quamvis non tota ratio agendi sit ex influxu luminis. Quo sensu creaturæ omnes ut agant, præsupponunt concursum generalem DEI; non tamen sequitur creaturam nihil sua facultate agere, sed totam rationem agendi refundendam esse in DEUM. Secundum essentialem conceptum sumta visio, in omnibus Beatis eadem est specie: sicut omnes Beati gratiam

tiam in specie eandem habent, cui lumen ejusdem speciei respondet. In hujus virtute quilibet Beatus tendit in idem objectum, & eodem modo: ut nullum habeamus principium, à quo formaliter derivari possit distinctio visionum specifica. At verò intensivè sunt inæquales in claritate sua graduale, in qua invenitur *alia claritas solis* (Christi) *alia claritas lune* (B. Virginis) & *alia claritas stellarum* (reliquorum Sanctorum) *Stella enim à stella differt in claritate, sic & resurrectio mortuorum* 1. Cor. 15. v. 41. Visio nempe commensuratur lumini, & lumen gratiæ ac meritis; quod gloriæ semen *fructum affert & facit aliud quidem centesimum, aliud autem sexagesimum, aliud verò trigesimum* Matt. 13. v. 23. Idem semen qui *parcè seminat parcè & metet &c.* 2. Cor. 9. v. 6 *unusquisque autem propriam mercedem accipiet secundum suum laborem* 1. Cor. 3. v. 8. Unde si adsit meritum inæquale, datur inæqualis gloria; quam juxta mensuram meritorum adultis ut coronam DEUS confert. Quod clarè Eug. Papa IV. definivit in Florent. OEcum. XVII. dum in Literis unionis docet visuros Deum sicuti est, *pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius*. Quia verò multi Beati gratiam æqualem habent, ad cujus mensuram conferatur æquale lumen gloriæ (sic parvulis baptizatis æqualis intensivè gratia per idem Sacramentum data est, sinè proprio parvulorum merito) non omnes inæquales in visione erunt. Intellectus insuper inæquales in entitate sua, habito æquali lumine, producent visionem æqualem; neque hoc casu nobilior intellectus perfectius DEUM videbit propter excessum naturalem virtutis suæ, dum tota diversitas visionum refunditur in solam facultatem intellectuum gloriosam. Sinè qua nullus Angelus habet majorem capacitatem videndi DEUM

UM quàm homo, sed ambo elevari ad visionem debent; consequenter nullus clariorem elicit visionem nisi ut magis elevatus. Qui non elevatur ut est intellectus hominis vel Angeli, sed quoad rationem intellectus tantum : nec DEUM videndo operatur tanquam intellectus humanus, sed tanquam intellectus elevatus. Major perfectio entitativa in intellectu Angelico, per accidens & materialiter tantum se habet ad actum visionis; propter quam calamus aureus, si reliqua sint paria, non format characteres in se meliores quàm anserinus. Quòd si Angelus clariorem actum visionis elicit ex solo excessu, quem à natura habet seu absque gratia & meritis eodem modo augmentum gloriæ quàm tale habebit ex natura sua, seu absque gratia & meritis. Sicut autem Angelorum infimus meliorem habet intellectum, quàm sit intellectus Christi Humanus: ex hoc excessu clariorem quoque visionem haberet, quàm Christus habeat secundum animam; cum neque B. Virginem æquare possint, quæ magis in gradu intensivo contemplatur DEUM. Si tamen augetur lumen ex parte æqualis intellectus, augetur causa quàm talis: consequenter juxta hunc gradum luminis augetur pari mensurâ visio in uno intellectu, prout est magis elevatus per inæquale lumen. At verò perfectior intellectus quoad suam naturalem substantiam, non auget rationem causæ quàm talis: dum sola potentia obediencialis attenditur, quam omnes creati intellectus æqualem habent.

## THESIS VI.

### *Species creata in visione DEI.*

**N**ulla defacto species creata datur pro clara visione DEI, quam tamen absolutè possibilem esse judicamus. DEUS per illam visibilis redderetur

deretur extrinsecè & quasi accidentaliter ac instru-  
mentaliter, dum per substantiam suam visibilis est in-  
trinsecè tanquam per formam principalem. Ità nunc  
quisque Angelus intellectum proprium ad sui visio-  
nem per entitatem suam movet ex parte objecti, non  
repugnat tamen infundi Angelo distinctam formam:  
ut quia Michaël Gabrielem videt mediante specie,  
hac quoque mediante seipsum intueri possit. Quòd  
DEUS ratione sui sit actu intelligibilis, & ex hoc in-  
tellectui summè proportionatus ad concurrendum  
concurſu objectivo: juxta nos tantùm sequitur vi-  
caria specie opus non esse ad talem concurrſum. Si-  
cut autem DEUS, qui sinè agentibus creatis quos-  
dam effectus producere solus possit, non tamen pro-  
ducit solus sed simul cum causis secundis: pari ra-  
tione speciem adhibere possit ad sui visionem, quam-  
vis ex parte objecti ad hoc præstandum sola essentia  
Divina sufficiat. Unde non magis censemus fore su-  
perfluum aut chimæricam, quàm sit concurrſus causæ  
secundæ in concurrſu primæ. Et sicut producendo  
ignem cum causa secunda immediatè concurrit ad i-  
gnem producendum, quamvis non solus concurrſu ef-  
fectivo producat ignem: sic DEUS speciem adhi-  
bendo sua quoque entitate influet ad sui visionem,  
quamvis non solus concurrat ut omnino possit. Quo  
casu specialem concurrſum adhibebit simul se toto  
influens cum specie sui, non verò abdicabit concur-  
ſum objectivum. Scimus per nullam speciem mate-  
rialem sicut in se est posse repræsentari Angelum, &  
omnem creatam speciem distare magis à DEO in-  
finito in ratione entis: est tamen sufficiens habitu-  
do & cum intellectu proportio, ut DEUM repræsen-  
tet sicut est. Æquè negamus Angelum videri pos-  
se per sensus etiamsi non infinite distent, dum san-  
cti visione creata contemplantur DEUM. Quæ nul-  
ium



lum defectum immaterialitatis supplebit ex parte  
objecti, ac proinde non necesse erit ut talis species  
aut superet DEUM in suo immateriali esse aut sal-  
tè adæquet: quando nec actus visionis in entita-  
te sua Divinam immaterialitatem adæquat, & tamen  
repræsentat DEUM. Aut summum objectivè infini-  
ta erit; quâ ferè ratione datur tam lumen gloriæ  
quàm visio DEI in omni ratione infiniti, nullus hinc  
tamen arguet visionem elici quâ DEUS videatur in-  
finito modo. Est autem visibilis per substantiam  
suam in actu primo, ut sinè impressa specie videri  
possit: non tamen visibilis per substantiam suam in  
actu secundo, sed formari debet verbum mentis quo  
sibi Beatus repræsentativè præsentem reddat. *In qua-  
libet re intellectuâ cui competit intelligere, necesse est  
ponere verbum: de ratione enim intelligendi est quod  
intellectus intelligendo aliquid formet, talis autem for-  
matio dicitur verbum* S. Th. opusc. 27. aliàs 13. &  
*hoc universaliter verum est de omni quod à nobis in-  
telligitur, sive per essentiam intelligatur sive per simi-  
litudinem* &c. q. 4. de verit. 2. 2. ☉. *nec aliter pos-  
sumus intelligere nisi hujusmodi conceptionem expri-  
mendo, & ideo omne intelligere in nobis propriè loquendo  
est dicere ad 5. Clarè S. Aug. quando videbimus eum  
sicuti est -- tunc quidem verbum nostrum non erit  
falsum* 15. Trin. c. 16. Summa proportio Divinæ es-  
sentia non obstat Beatis, dum æterno Patri non  
obstat quò minùs videndo essentiam producat Ver-  
bum; quod quidem producit licèt Divinitas sit præ-  
sentissima Patri per summam identitatem. Quia ve-  
rò Filius & Spiritus Sanctus à Patre communicatam  
hanc cognitionem habent, cui semel correspondit  
terminus adæquatus: ea de causa Filius & Spiritus  
Sanctus non formant quidem verbum, sed omnes  
Personæ intellectionem communem habent à Verbo  
termi-

terminatam saltè in Patre. Vicissim intellectus creatus DEUM non videt visione jam supponente verbum, sed verbum creatâ visione formare sibi debet. Quod ubi actionem videndi terminabit, adhuc per verbum mentale immediatè videtur DEUS: ut nullum aliud objectum priùs visum Beatus habeat, nec verbum mentale sit objectum visum sed tantùm formalis ratio videndi. Unde est tantùm ratio intellecta ut quo ( representans scilicet DEUM, ut actu reddatur à Beato visus ) seu prout species intelligibilis dicitur talis non quia directâ cognitione cognosci debet, sed quia objectum à se distinctum reddit intelligibile. Per similitudinem autem objectivam DEUS non potest videri: unde ponere quòd DEUS videatur solum per similitudinem, seu per quandam resurgentiam claritatis suæ ( Theophaniam vocant ) est ponere Divinam essentiam non videri S. Th. Lect. 4. in 1. Cor. 13.

## THESIS VII.

*Objectum hujus visionis non  
comprehensiva.*

**V**ISO DEO intellectus essentiam cum omnibus attributis videt, ut nihil absolutum Beatis occultetur: sicut qui clarè quidditatem hominis penetrâset, novit omnia prædicata quæ sunt de ratione hominis. Et quamvis attributa DEI per multos conceptus abstractivos à viatore cognosci possint, Beatus illa ut unam entitatem videt non prout distincta sunt per conceptus nostros. Si tamen distinctio claritatem significet in actu videndi & objecto viso: hoc sensu singula distinctè vident, si conceptu proprio non verò communi & confuso tantùm. Si autem opponatur distinctio unitati, nullus habet

diversos de objecto actus sed unam visionem : neque ex parte objecti ut diversa vident , dum nulla objectiva diversitas intercedit. Unde si tanquam distincta videri possent, hæc falsa visio repræsentaret aliter quàm in se foret objectum visum. In quantum visio succedit Fidei , quod per hanc viatores credimus comprehensor videt , ut certum sit ex Florentino Beatos intueri Deum quàm unum & Trinum: *cùm enim unus Deus videtur, Trinitas videtur Pater & Filius & Spiritus Sanctus* S. Aug. in ps. 84. Neque divinam essentiam videre possunt non visis Personis , aut Personam unam quàm omnes reliquæ videntur. Etiam in illo priori signo quo Pater generat , aut Spiritum Sanctum vi sui amoris spirat , jam videt Filium & Spiritum Sanctum : non tanquam Personas pro priori visas , sed tanquam procedentes. Verum est sinè Paternitate naturam communicari Verbo , quòd propter oppositionem Filius sit incapax Paternitatis ; omnes tamen Personalites Divinæ identificatam secum naturam habent , & omnès sunt actu visibiles cum essentia DEI quam clare comprehensor sicut est videt: intellectus insuper gloriosus capax est dictæ visionis & quietari petit, cui nihil obstare in objecto potest nè duæ oppositæ rationes simul intellectum determinent ad actum videndi. Humanitati assumptæ Verbum in Christo unitur non unito Patre, quòd talis unio facta sit non sub ratione naturæ quam eandem habent , sed sub ratione Personæ quam Pater distinctam habet à Verbo : adeoque opus non erat incarnari Patrem , dum suâ distinctâ Personalitate unitur Verbum. Si autem videatur D E U S , hic actus Beato repræsentat naturam sicut est clarè intuendam ; propter quam causam Beatus qualibet Personâ visâ non minùs naturam identificatam Personis videt , ut simul distinctè vide-

at Personas omnes. *Secundum quod intelligitur in seipso, prout videtur à Beatis, non potest intelligi sine Trinitate Personarum* S. Th. 2. 2. q. 2. a. 8. ad 3. Sic autem videtur à Beatis totus, ut licet comprehensores dicantur in quantum comprehensor opponitur viatori, nullus tamen Divinam visibilitatem æquare possit: *ideo impossibile est quod aliquis intellectus creatus Divinam essentiam comprehendat, non quia partem aliquam ejus ignoret, sed quia ad perfectum modum cognitionis ipsius pertingere non potest* S. Th. q. 8. de Verit. a. 2. ☉. Sicut dum fortè objectiva veritas demonstrari potest, qui tantum probabili conjectura talem veritatem cognosceret, totam tunc quidem cognosceret totalitate objecti: non tamen totalitate modi, ut quantam objectum demonstrabile ex se ab intrinseco meretur, tantam de illo cognitionem habeat. Quod summè repugnat visioni creatæ, ut nunquam finitâ claritate DEUM infinitum æquare possit: dum omnis cognitio comprehensiva intrinsecam in suo objecto cognoscibilitatem adæquat. Non tamen requiritur entitativa æqualitas cum suo objecto: aut dicendum erit à nulla creatura substantiam comprehendere posse, cum nulla cognitio creata possit æquare substantiam in sua entitate sumtam. Hic solam intrinsecam visibilitatem attendimus, cui actus conformetur: neque est opus haberi cognitionem objecti, ut nulla clarior cognitio etiam ex parte virtutis nobilioris haberi possit. Sic nullus Angelus tantâ claritate se cognoscit, quantâ absolute cognosci potest per solam extrinsecam cognoscivitatem potentiæ: & tamen quidditatem propriam comprehendunt omnes. Quod DEUS clariùs cognoscat Angelum, tenet se penes intellectum DEI: ut talis excessus cognoscivitatem majorem dicat ex parte cognoscentis, quamvis ex parte

te objecti cogniti æqualem DEUS intrinsecam visibilitatem inveniatur. Qui major excessus intellectus Divini non obstat, quò minùs Angelus cognitionem sui comprehensivam habeat. Sic mundus sublunaris quoad se totus clauditur ambiente mundum sublunarem concavo lunæ, sed magis firmamento: neque hæc major inclusio facta est propter quantitatem mundi, sed propter quantitatem extrinsecam firmamenti.

## THESIS VIII.

### *Objectum Scientiæ Divinæ.*

**C**ertum est dari scientiam in omniscio DEO, ut nihil ignorare possit; sed absque compositione aut divisione, neque deductam per discursum. Quos defectus scientia creata purè in quantum creata habet; si tamen scientiam sumamus formaliter, prout in sua quidditate sumpta importat notitiam objecti certam & actum evidentem qui denegari DEO non potest. Non minùs cognitio creata sub hoc conceptu specifico est actus secundus cognoscendi, supponens ante se primum; at verò cognitio ex generico suo conceptu repræsentat objectum, seu actus repræsentans simul sit actus elicited receptusque formaliter, & ex hoc præsupponens potentiam cognoscendi sive non. Quia insuper potentia physica in nobis facultatem dicit, quæ actum eliciat simulque recipiat: ad actum improductum & irreceptum nullam in DEO potentiam distinctam admittimus. Solùm ratione nostra in DEO possumus concipere quandam potentiam logicam ad actum cognoscendi: sive cum actu intelligat, evidenter arguimus hoc nihil repugnare DEO. Sed quia cognoscere est possibile DEO per solam identitatem cum cognitione sua: est potens cognoscere per potentiam  
suam

suam non tanquam productivam aut receptivam actus, sed quoad potentiam logicam & actum intellectus non repugnantem DEO. Seipsum infinitam virtute sua comprehendit, ac negativè finit per actum infinito objecto adæquatum. Præter se omnes creaturas novit: & non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus, omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus Heb. 4. v. 13. Nec tantum cognoscit eminentes earum esse quod habent in DEO, sed videt rationes proprias ac esse differentiale: sicut à DEO singulæ producuntur quoad suas rationes proprias, idque non cæcè aut casu aut præter intentionem DEI. Quas omnes videndo ut sunt in seipsis, nullam hoc sensu cognoscit in seipsa quasi à rebus creatis cognoscendi motivum sumat; sed quando essentiam & potentiam suam in quantum productivam omnium comprehendit, tanquam in causa cognoscit quidquid in ea continetur aut emanare potest à DEO. Cùm autem contineat eminenter omnes creaturas possibles, tanquam in causa adæquata omnes in sua essentia & potentia DEUS cognoscit; ac proinde datur in DEO scientia simplicis intelligentiæ prout ad illas terminata. Neque est minor scientia quàm potentia DEI, hæc autem ad omnem creaturam possibilem terminari potest. Quod fuit vel actu est, uno eodémque intuitu per scientiam visionis novit: ac mundum gubernans, ut naturæ author creaturis omnibus & singulis providere debet, quod sine omnium cognitione fieri non potest. Distinctè ab æterno videt omnes eventus pro quacunque differentia temporis futuros absolutè, licèt hi forent contingentes; cujus præscientiæ *tantos habet testes, quantos fecit Prophetas* Tertull. 2. cont. Marc. §. 4. Omniumque cognitio ratione sui est vera perfectio, & simpliciter simplex: non minùs quàm scire quod fuit vel actu est,

idque ex sola suppositione quia vel fuit vel actu est. Utque omnia cognoscat, nullo distincto medio ex parte objecti opus est præter eventum quem futurum videt. Sic nullum peccatum infallibiliter cognosci potest in causa creata, aut in decreto DEI; sed quoad terminationem actûs peccata in seipsis nota sunt DEO, ut illa cognoscat determinatè futura quia sunt verè futura. Unde præscientia futurorum contingentium non lædit libertatem nostram, sed DEUS præsupponit exercitium libertatis: dùmque est simplex intuitus & cognitio tantùm speculativa, nihil ex parte objecti ut futuri mutat; sed tale repræsentans quale est omnes actiones liberas repræsentat prout sunt tales, non verò libertatem ab actione tollit. Cùm tamen peccatum Petri non possit non esse dum actu est: Petrus quem DEUS peccaturum videt in sensu composito peccati necessariò quidem peccat, sed tantùm necessitate ad determinationem suam consequente sive in quantum libere peccare voluit. Non ergo determinatur Petrus ut peccet, quòd DEUS peccantem videat; sed potius peccatum Petri absolutè futurum in quantum objectivè præsens est DEO, determinat DEUM objectivè ad visionem sui. Quod Petrus omittere potuisset, & per hoc impedire scientiam DEI de suo peccato terminativè acceptam. Sicut si Petrum currentem videam, non lædo libertatem Petri; nec mea visio cogit ad cursum ideo ponendum quia Petrum currentem video, sed potius ego currentem video quia pro sua libertate verè currit. Si cursum omisisset, non existente cursu impediret hanc visionem meam. Et quamvis crastinum peccatum hodie nondum sit, DEUS peccatum Petri jam videt:

& quid

& quidquid cras erit, per totam æternitatem vidit  
ac semper videbit; ubi non fiet successio in scientia  
DEI, sed tantùm successio terminorum extrinseca.

## T H E S I S I X.

### *Scientia Media.*

**D**OCTORES Societatis admittunt præter has duas tertiam scientiam, id est Scientiam Medicam: ut omne contingens conditionatè futurum DEUS sciat, tanquam objectum medium inter puram possibilitatem & futuritionem rerum absolutam. Pro qua historicè propugnata ab Event. 43. Gabriel de Henao præter celeberrimas Academi-  
as enumerat trecentis plures Scriptores extraneos, parvo ut ait labore conquistos: tantùm triginta supra centum domesticos Societatis Theologos cursim nominando, nè allegaret omnes. Cum quibus asserimus sciri à DEO per certam cognitionem & non conjecturalem tantùm, quid omnis voluntas libere factura esset sub quavis conditione de se indifferenti ad positionem actûs; ut dum idiotam interrogo quidnam egisset si fuisset natus ante mille annos? mox dicat nescio DEUS scit, quasi natura dicteret hæc sciri à DEO. Quo multis speciale beneficium exhibente, *placens DEO - raptus est nè malitia mutaret intellectum ejus Sap. 4. v. II.* hoc tamen peccatum in se non futurum non præscivit DEUS quoad futuritionem peccati absolutam, ad quam terminaretur scientia visionis; sed futuritionem sub conditione, ad quam terminaretur Scientia Media, *Ergo cujus vult miseretur, & quem vult negativè tantùm indurat Rom. 9. v. 18.* non potens adulti misereri aut quem vult indurare, nisi prævideat cuinam suæ vo-



ationi voluntas consensura sit vel dissensura. Eum in finem varias inspirationes ac illustrationes adhibet, ut liberum arbitrium moveat ad bene operandum; nisi autem præsciret operationes nostras futuras sub conditione, exponeret se periculo non obtinendi finem efficaciter à se intentum per media quæ eligit ad finem obrinendum, & pœnitere DEUM posset quòd non adhibuerit alia media. Verum est juxta S. Aug. Prosp. aliòsque PP. non posse præsciri absolutè quòd non est absolutè futurum, quasi ad pœnam præmiùmve dirigere DEUM possit scientia futurorum sub conditione ut Semipelagiani volunt: putantes parvulos admitti vel non admitti ad Baptismum intuitu eorum operum, quæ nunquam pro statu absoluto in se exitura DEUS prævidit conditionatè facturos si usum rationis fuissent assecuti; à quo Massiliensium errore tanto consensu recedimus, ut nullam rationem meriti agnoscamus nisi actus ponatur absolutè aut sit absolutè prævisus pro statu reali. Ampliùs fatemur, S. Aug. nunquam usum nomine Scientiæ Mediæ; quoad rem tamen nobiscum sentit, ubicunque docet dari vocationem congruam cui sumtæ in sua entitate voluntas dissentire posset. Ex parte cognoscentis, essentia DEI est DEO medium certò cognoscendi futura conditionata: utque habeat Scientiam Mediam de meo consensu, determinationem formalem ex parte intellectus fundat infinita perfectio intellectus cujus est nihil ignorare. Nullo vicissim medio ex parte objecti opus est præter consensum conditionatè futurum, qui tandem futurus actualem pro tunc veritatem haberet ut actu Divino jam cognosci possit. Sic Petri consensum conditionatè futurum videt, quòd Petrus libere consensurus potiùs quàm DEO indifferenter vocanti dissensurus esset; si nollet consentire, nul-

lam

lam de tali consensu scientiam haberet DEUS. Hoc  
 sensu indifferens est scientia DEI ex parte objecti &  
 ut sic contingens tantum, quod homo præventus  
 vocatione Divina pro sua libertate alterutrum ut li-  
 buerit exercere possit; sed quia voluntas potius con-  
 sensum daret sub certa conditione, est determinatus  
 DEUS ex parte subjecti ut consensum præ dissensu  
 sciat. Non minùs indifferenter speculum repræsen-  
 tare potest rem albam aut nigram; si tamen opponam  
 speculo colorem album, determinatur ad repræsen-  
 tandum album præ nigro. Et quamvis voluntas o-  
 mittere consensum posset, si vellet dissentire: adhuc  
 scit DEUS voluntatem non dissensuram, quando  
 hunc ejus consensum conditionatè futurum in ipso  
 consensu videt. Ut verò consensus determinatè co-  
 gnosci possit, necesse non est jam præsentem esse in  
 sua entitate: modò post factam Divinam vocatio-  
 nem futurus esset. Sic licet Pilatus non sit in na-  
 tura rerum, ut tamen dicatur Christum ad mortem  
 damnasse, satùs est eum extitisse tempore Passionis  
 five dum Christum crucifigi fecit. Aut quia simili-  
 ter creaturæ possibles nihil sunt in se actu reali, æ-  
 què non possent terminare scientiam infinitam DEI.  
 Censura Lovaniensium, quam à Jansenio laudatam  
*super quibusdam sanæ doctrinæ Articulis* (Sixtus in Bre-  
 vi Apost. ) connexis cum Scientia Media, autore  
 Michaële Bajo ejùsque discipulo ac Jansenii Magistro.  
 Jacobo Jansonio tulerunt, nihil obstat Scientiæ Me-  
 diæ; præsertim postquam sub pœna *excommunicatio-  
 nis latæ sententiæ* prohibita est à Sixto Papa V.  
 cujus constitutionem Anno 1588. publicavit Octavi-  
 us Episcopus Calatinus cum potestate Legati à late-  
 re Nuncius Apostolicus apud Franc. de Fourmestraux  
 ut exponit *Justa defensio adversus convicia & impo-  
 sturas Pseudophilalethi vanum Thomistarum trium-*  
phum

*phum de Scientia Media temerè nuper jaçtantis c. 1. Sect. 2.* Unde miror incuriam Clypei Thomistici, in quem censura Lovaniensium & Duacensium irrepsit hic n. 103. cùm tamen facultas pro edendo primùm Clypeo data sit Anno 1658. sive post annos septuaginta à promulgatione hujus edicti.

## THESIS X.

### *Prædeterminatio Thomistica*

#### *per Decretum.*

**Q**uia futurum absolutum opus habet actuali decreto DEI, dum actu ponetur ut in se existat : petit pro sua reali futuritione decretum præsens, quod semper habuerit non mutabilis DEUS. At verò futurum conditionatum, præsertim quod nunquam existet in natura rerum, per solum decretum possibile salvari potest quod esset conditionatè; unde si nunquam ponatur conditio, decretum DEI est actus conditionatus tantùm non minùs subjektivè quàm objectivè. Sicut si tale futurum purificatâ demum conditione transiret ad statum absolutum, opus tunc foret decreto DEI absoluto etiam objectivè, quale defacto DEUS non habet. Pariter vocationem congruam ad suum consensum conditionatum supponit Cajus quâ Deus voluntatem ad operandum juvet, non tamen præsentì vocatione Divinâ opus est actu excitante Cajum : cur magis decreto jam præsentì opus sit ? Scitur consensurus DEO si Cajum vocaret etiamsi creare Cajum non velit, aut licèt decernat auxilium negare sub quo consentiret Cajus : ut idem consensus conditionatus salvari posset, quin detur decretum ab æterno præsens de tali futuritione. Prout insuper hic & nunc decreto absoluto volebat DEUS nè Christus prædicaret Tyriis

riis, nullum aliud assignari potest quo vellet conversionem sub conditione DEO non digna si Christus prædicaret miraculis excitando Tyrum; quæ tamen prædicatio Christi in Tyro, supposito decreto de non prædicatione Christi, fuisset impossibilis & quam ut impossibilem futuram vidit. Aut novi decreti sensus esset: si nihil obstante absoluto & in se efficaci decreto meo, quo ex suppositione ad determinationem Christi consequente volo nè Christus in Tyro prædicet, contra hanc meam & suam voluntatem non prædicandi nihilominus prædicarit Christus in Tyro, statuo convertere Tyrios. Nec potest decretum assignari in quo videatur peccatum Petri, qui stante decreto permissivo peccare potest aut bonum operari. Juxta nos ante decretum certò scit DEUS futurum conditionatè consensum meum, ut simul sciatur non futurus ante vel sine decreto DEI; & quamvis evidenter sciat quid post decretum acturus essem, non tamen futuritionem illam in suo decreto videt. Sic Petrus currendo libere, currit post suam voluntatem currendi: consequenter Petrum non possum videre libere currentem, nisi post talem currendi voluntatem; cognosco tamen hunc cursum in sua entitate, non in voluntate Petri. Et nunquam solares radij existunt ante ortum solem, cum tamen radios solares videam in sua entitate sumtos non verò in sole. Decretum autem prædeterminans voluntatem Thomisticè, non combinabile cum nostra libertate contra Bannez negamus ut sequamur D. Thomam: *non enim esset homo liberi arbitrij nisi ad eum determinatio sui operis pertineret, ut ex proprio judicio eligeret hoc aut illud* 2. dist. 28. a. 1. ☉. Bilanx passivè indifferentis ( nisi pondus determinans addatur ) nullam in partem præponderare potest; at verò voluntas indifferentiam activam habet, in cujus virtute determi-

terminare seipsam possit ut nullo extrinseco deter-  
minante indigeat ad suam operationem. *Indifferens*  
*est ad plura, sed quòd determinatè exeat in hunc a-*  
*ctum vel in illum, non est ab alio determinante sed*  
*ab ipsà voluntate* &c. S. Th. 2. dist. 39. q. 1. a. 1. ☉. ne-  
gans libertatem dari *in illis quorum actiones non de-*  
*terminantur ab ipsis agentibus, sed à quibusdam ali-*  
*is causis prioribus* dist. 25. a. 1. ☉. Quamprimum igitur  
ad actum amandi prædeterminata voluntas esset  
non posset amorem omittere, multò minùs eliceret  
odium: ut neque libertas contradictionis, neque con-  
trarietatis salvetur cum tali prædeterminatione. Quòd  
si amoris exercitium omissum fuit, non amat defectu  
prædeterminationis Divinæ sinè qua juxta Thomi-  
stas elicere amorem nullus potest; ut neque in sensu  
diviso ab amore cesset pro sua libertate. Nisì quis  
cæcum visionem libere omisurum putet, dum tamen  
simpliciter visionem elicere cæcus non potest. Fa-  
temur libere sedere Cajum licèt non possit sessionem  
omittere in sensu composito sessionis, quia hunc sen-  
sum compositum sessionis facit ipse Cajus adeoque  
necessariò sedet ex sola suppositione quia vult; por-  
rò decretum prædeterminans ad quod infallibiliter  
sequatur actus, à nobis independens est nec impe-  
diri potest. Ut autem libertas alicui tollatur, satis  
est tolli potestatem ad omittendum actum in sensu  
composito qui non subjeat ejus voluntati: quam-  
vis in sensu diviso id præstare posset. Non multum  
proderit posse in sensu diviso prædeterminationis o-  
mitti actum, si mea libera voluntate nequeam facere  
hunc sensum divisum: aliàs perinde cæcus, in quan-  
tum depulsâ cæcitate videre potest in sensu diviso,  
hâc durante juxta Thomistas liber manebit ad viden-  
dum. Imò si agens ideo dicatur liberum quòd pos-  
sit actionem omittere in sensu diviso, necessariù juxta  
adversarios concursûs; liber non minùs dicetur ignis,  
cùm

cum possit actionem omittere combustivam stupæ si DEI concursus igni non detur. Sequetur insuper malos Angelos damnatos esse, quod sine prædeterminatione essentialiter requisita ad perseverandum non perseveraverint, sive dum talis perseverantia fuisset impossibilis. Et quia transgressores legis Divinæ prædeterminati non sunt ad observationem præcepti: DEUS carentibus prædeterminatione Thomistica, sine qua nullum præceptum servari posset, præciperet observationem impossibilem.

## THESIS XI.

### *Voluntas & Libertas DEI.*

**D**EUS à nulla finita voluntate amari potest, ut dignus amari est sed amore stricto se amat quo possit adæquari amabilitas infinita DEI. Nec potest cessare ab amore summi & puri boni, ut clarè comprehensi; quando in tali amore rationem mali nullam videt, neque rationem majoris boni si amor abrumpatur. Præter se omnes creaturas, dum jam sunt existentes, verè amat: non quasi creaturâ indigeat, sed ut cõmunicet bonitatem suam; quod nullum defectum bonitatis Divinæ infert, sed bonum arguit bonitate suâ infinitâ etiam ad extrâ diffusum. Porro *ubi nulla indigentia, nulla necessitas: ubi nullus defectus, nulla indigentia; nullus autem defectus in DEO, nulla ergo necessitas* S. Aug. q. 22. ex 83. consequenter libere creaturas amat, & omnes amore entitativè æquali per unum eundemque actum; qui tamen acceptus terminativè admittat magis & minus, ut illam creaturam DEUS plus amet cui majus vult bonum. Creaturas quâ objectivè tantum ac purè possibiles DEUS non amat, dum negat omnibus existen-

stentiam physicam seu primum fundamentale bonum, Et quamvis omnipotentia DEI, quam secum identificatam amore summo velut activam possibilitatem amat, supponeret creaturas posibles: non tamen infertur efficax earum amor, dum æquè justitiam vindicativam efficaciter DEUS amat, sed odit peccatum sinè quo talis justitia esse non potest. Quòd DEUS cognoscat posibles, voluntas autem sit æquè necessaria ac scientia DEI: hoc solùm entitativam earum necessitatem probat, non verò terminativam. Nisi quis putet eadem ratione chimæram à DEO amari posse, dum tanquam existens objectivè cognosci potest. Dum autem hominibus aliquando existentibus DEUS vult vitam æternam, datur in DEO voluntas antecedens salvandi omnes, in quantum singulis hominibus confert certa auxilia gratiæ cum quibus salvari possunt si velint; consequenter omnium adultorum salus per tale auxilium inchoativè extrahitur ex statu possibilitatis, nihilque præter multorum cooperationem deest quo minùs salutem consequantur paratam sibi à DEO, ut nunquam salutem amet quà purè possibilem. Nullum verò motivum voluntatis Divinæ in rebus creatis datur, cui sola infinita bonitas ratione nostrâ est suum motivum adæquatum. Sæpe tamen assignari motivum potest ex parte objecti voliti, prout una bonitas creata sæpe est finis proximus alterius voliti. *Velle finem non est ei causa volendi ea quæ sunt ad finem (cùm actu eodem realiter utrumque velit) sed tamen vult ea quæ sunt ad finem, ordinari in finem. Vult ergo hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult hoc* S. Th. 1. p. q. 19. a. 5. ☉. Sic DEUS voluit Incarnationem Filii propter nos esse, non tamen voluit propter nos tanquam salute hominum fuisset motus. Quam ubi destinavit quia id homo redimendus postulabat: sensus est

est Christum destinatum sicque à DEO salutem hominum intentam esse, ut finis passivæ destinationis Divinæ foret dum erat ratio Incarnationis voluntæ, non tamen voluntatis ut decernentis Christum. Eodem entitativè amoris actu se amat necessariò, creaturas liberrimè; sicut per unam eandemque Subsistentiam increatam Verbi in Christo Divinitas terminatur necessariò, & Humanitas tantùm contingenter. Juxta nos actus liber DEI, ut sumtus entitativè, omnimodè identificari debet cum actu necessario: adeoque solum objectivè, extrinsecè, aut penes diversa connotata distingui possunt. Et sicut eadem albedo propter diversum terminum dat muro diversas denominationes, eumque modò similem denominat modò dissimilem alteri: sic DEUS diversas denominationes habere potest ab actu eodem, dum voluntas nostra indiget diversis actibus ob suam limitationem. Unde volitio & nolitio mundi in DEO identificatæ sunt entitativè, licèt ratione termini distinguantur ut ex hoc diversæ denominationes haberi possint. Nec obstat nolitionem opponi volitioni, quando in DEO eidem essentiæ videmus simul & semel identificari duas Relationes sibi non minùs oppositas, puta Paternitatem ac Filiationem. Nul- lum insuper decretum liberum, si ea sumamus entitativè, abesse potest: sed tantùm terminativè ac denominativè absunt à DEO. Sic neque immensitas, identificata essentialiter cum DEO, secundùm entitatem abesse potest; sed quia antequam universum conderet non fuit universo actu præsens, denominatio actualis præsentia possit à DEO abesse. Imò quòd actus liberi entitativè etiam à nobis abesse possint, ex sola ratione accidentis habent non propter rationem formalem libertatis. Estque hoc omni actu creato proprium ex dicta ratione; quando &



do & amor beatificus quantumvis necessarius, pro-  
ut est quoddam præcisè accidens, abesse potest à pu-  
ra creatura: sicut à nobis defacto abest, dum adhuc  
viatores sumus.

## THESIS XII.

### *Prædestinatio & Reprobatio.*

**D**EUS voluntate suâ antecedente *omnes homi-  
nes vult salvos fieri* 1. Tim. 2. v. 4. & ex hoc af-  
fectu *illuminat omnem hominem venientem  
in hunc mundum* Joan. 1. v. 9. Paratus quoque est  
dare omnibus sufficientia media, quibus adjutus qui-  
libet salvari potest si velit. Etiam in reprobis post-  
quam sunt semel justificati (*nisi ipsi illius gratiæ de-  
fuerint*) *sicut capit opus bonum, ita perficiet operans  
velle & perficere* Trid. OEcum. XIX. sess. 6. c. 13. ut  
omnes perseverare possent. Et quamvis evidenter  
sciat auxilium futurum inefficax, id tamen confe-  
rendo optat vocationem fieri efficacem. Unde si  
homo cooperari nolit: *perditio tua ex te Israël, tan-  
tummodo in me auxilium tuum* Oseæ 13 v. 9. Non  
minùs infantes omnes vult salvos fieri quantum in  
ipso est, neque Baptismum impedire directè potest;  
quin tamen mutare teneatur cursum aliarum causa-  
rum, ut sæpe salutis impedimentum permittat, si non-  
dum baptizatus parvulus moriatur. Ante prævisa  
absolutè merita intendit DEUS adulto gloriamtan-  
quam coronam, gratuitò ex misericordia sua præde-  
stinans quoscunque prædestinat: *salvos factos secun-  
dum electionem gratiæ - si autem gratia jam non ex  
operibus, alioquin gratia jam non est gratia* Rom. 11.  
v. 5. & 6. Vita æterna scilicet est finis justificationis  
ut Trid. cit sess. docet cap. 7. & ex hoc finis omnium  
dono.

donorum gratiæ finè qua nullus mereri potest ; ut velle gloriam tanquam finem sit prius , quàm velle gratiam aut merita tanquam medium ad gloriam instar coronæ obtinendam. *Elegit ergo nos - non quia per nos sancti & immaculati futuri eramus , sed elegit prædestinavitque ut essemus* S. Aug: de Præd. SS. c. 18. Ut tamen prædestinet cum certitudine sua an homo adultus consequi coronam vellet , non dandam antequam ponantur merita quorum sit merces , supponit conditionatè prævisa in nobis merita : *nemo enim eligitur , nisi conditionatè jam distans ab illo qui rejicitur* S. Aug. 1. Simplic. q. 2. ac proinde *quorum merita conditionatè præscivit , eorum præmia prædestinavit* S. Ambros. 5. de Fide c. 3. Licèt non indè motivum prædestinationis causamve sumat : aut DEUS prædestinasset Tyrios , quos scivit fuisse pœnitentiam acturos. Imò non minùs præscivit salutare virtutum actus quos Esau elicurus sub conditione erat , quàm actus vitiorum malos quos tandem fortasse habiturus fuisset Jacob ; & tamen Malach 1. v. 2. legimus : *dilexi Jacob Esau autem odio habui* , ut ratio propter quam unus assumatur & relinquatur alter ex tali præscientia reddi non possit. Vicissim executiva *prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum* S. Th. 3. p. q. 1. a. 3. ad 4. quâ DEUS absolutè merita prævidere debet : ut gratis intendat gloriæ coronam dare , sed dare non gratis. Quod solam executionem probat non esse gratuitam , cùm sit ex justitia DEI : ut tamen intentiva electio habeatur gratis. Sic quando venalem gemmam proponit Titius , concepit gratis hoc suum decretum de vendenda gemma ; non tamen objectum efficacis hujus voluntatis offertur gratis , quòd gemmam donare nolit sed justo pretio vendere. Quando vi sui decreti ad coronam DEUS numerum salvandorum eligit ante prævisa

merita, eodem signo reliquos negativè reprobant; at  
verò positiva reprobatio est justitia vindicativa, pro  
qua supponit DEUS prævisam absolutè finalem cul-  
pam. Profitemur videlicet cum Conc. Valent. sub  
Leone Papa IV. c. 3. *in electione - salvandorum mi-  
sericordiam DEI præcedere meritum bonum, in da-  
mnatione autem periturorum meritum malum præce-  
dere justum DEI judicium*; quod judicium justum non  
datur de culpa committenda sub conditione tantum,  
seu nisi commissa supponatur & ex hoc absolutè præ-  
visa. Dum homo reprobatus est negativè tantum,  
non caret auxilio Dei ad malum fugiendum aut eli-  
gendum bonum: nec illam potestatem reprobatio  
positiva tollit, quæ tanquam suppositio consequens  
præscientiam DEI & culpam finalem præsupponit  
ut jam absolutè commissam. Cùm autem vitare po-  
tuerit finalem culpam seu causam æternæ damna-  
tionis, æquè damnationem vitare posset: ut tandem  
imputetur culpa & pœna. Reprobis tamen quæ ta-  
lis non potest corrigi, licet in sensu diviso reproba-  
tionis salvari posset: & quia impedire Judas potuit  
Scientiam Mediam de suo peccato conditionatè præ-  
viso, nè Judas reprobaretur etiam negativè fuit Ju-  
dæ liberum. *Non ex eo necessitatem pereundi ha-  
buerunt quia prædestinati non sunt, sed ideo prædesti-  
nati non sunt quia tales futuri ex voluntaria præva-  
ricatione præsciti sunt* S. Prosp. Resp. 3. ad object  
Gall. Pari ratione dum impedire quisque potuit Sci-  
entiam Mediam de sua cooperatone, fuit in ejus po-  
testate per hoc impedire decretum electivum sui; quo  
DEUS prædestinat eos tantum quos videt libere u-  
suros mediis ac suæ vocationi finaliter consensuros,  
sive in quibus prævidet finalem gratiam. Nemo qui-  
dem discernit se à reprobo solius naturæ viribus, ne-  
que in actu primo ut sibi conferat entitatem gratiæ;  
hâc

hâc tamen collatâ discernere seipsum potest in actu secundo , cooperando datæ sibi vocationi Divinæ. Quòd autem aliquis cooperetur gratiæ , pendet ab ejus libertate ut coadjuta tamen à DEO : & quando conditionatè supponitur cooperaturum , ex hac suppositione DEO *volenti salvum facere nullum hominis resistit arbitrium* S. Aug. de correptione & gratia. c. 14

## THESIS XIII.

### *Prædefinitio non Scotistica boni tantùm operis.*

**O**Mnia electorum merita DEUS in via prædefinit, *quæ præparavit DEUS ut in illis ambulamus* Eph. 2. v. 10. nullum præparando quia in illis ambulamus, sive non postquam reipsâ extitutum & in se absolutè prævisum fuit : ut sicut intentio & volitio finis est prior executione , pari de causa meritorum prædefinitio voluntati facta sit ante posita absolutè merita jamque à DEO prævisa. Neque hoc suo decreto libertatem creatam lædit : dum adhuc voluntas vocatione de se indifferenti præventa in sensu composito indifferens quoad se manet, nihilque voluntatem ad sic operandum impellit. Quòd actum præfinitum omittere aut contrarium operari Cajus non possit, arguit impotentiam quæ sit suppositio consequens ad nostram libertatem : pro ut jam DEUM dirigit Scientia Media , quæ opus honestum conditionatè supponat. Unde non potest aliter operari libere , quia pro sua libertate vult sic operari Verum est Deum *omnia quidem præscire , sed non omnia præfinire* S. Damasc. 2. Orth. Fid. c. 30. dum nihil prædefinit Scotisticè ut determinet vo-

luntates tantum ad unum applicatas ante Scientiam  
Mediam, neque hac stante prædefinit perverfos vo-  
luntatis actus: *non enim vitium admitti vult, nec  
rursus virtuti vim adfert* cap. cit. Salvâ in nobis li-  
bertate indifferentiæ debet posse infallibiliter obti-  
nere actum, quem DEUS intendit efficaci decreto  
suo; ut præter scientiam simplicis intelligentiæ so-  
lam auxiliorum indifferentiam repræsentantis, opus  
habeat Scientiâ Mediâ quâ certò cognoscat consen-  
suram sibi voluntatem creatam ( sive quâ DEO re-  
præsentetur efficacia auxiliorum, ad hoc entitativè  
indifferentium ) nè tale decretum prædefinitivum  
frustrari, possit si fortè voluntas sequi non vellet vo-  
cationem de se indifferentem. Unde per solam scien-  
tiam simplicis intelligentiæ DEUS scit quidem possi-  
bile esse, ut tali vocatione præventa convertatur: ad-  
huc tamen auxilium manebit indifferens, & cui resiste-  
re voluntas posset. Quo sensu expectat voluntatem  
creatam, quidnam à DEO vocata & adjuta donis gratiæ  
factura esset: nullam explorans quid factura esset solis  
naturæ viribus. *Si quisquam sibi tribuit quòd veniat vo-  
catus, non sibi potest tribuere quòd vocatus est* S. Aug. q.  
68. ex 83. Nullam proinde voluntatem explorat, ut non-  
dum vocatam vocet: aut DEUS expectaret aliquod na-  
turale opus, quod esset meritum vocantis gratiæ.  
Quod solum damnatum est in Arausic. II. sub Feli-  
ce Papa IV. non tamen damnatus est Propheta, apud  
quem DEUS Israël vineam *expectavit ut faceret u-  
vas & fecit labruscas* Il. 5. v. 2. Actus Fidei omnesque  
alios qui nullum peccatum prævium supponunt, DE-  
US absolutè prædefinit tanquam bonos ratione sui.  
Si verò supponant prævium peccatum ( quale sup-  
ponit contritio ) non eos prædefinit absolutè nisi in  
quantum peccatum absolutè futurum videt: aut po-  
ni eadem efficaciâ peccatum vellet, cum ijs conne-  
xum,

xum. Neque habent bonitatem appetibilem ratione sui, ut ante commissam & prævisam culpam à DEO intendantur: sicut medicina ut curativa morbi, ex sola suppositione morbi est bona. Multoque minus per actum positivum peccata præfinire potest: nè sicut consuens peccatum autor peccati fieret, sic DEUS peccatum præfiniens autor malitiæ moralis fiat. *Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera ita ut bona DEUM operari, non permissivè solum sed etiam propriè & per se: aded ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli; anathema sit* Trid. Sess. 6. can. 6. negans Divina potestate aliquos prædestinatos esse ad malum can. 17. Dat suum concursum dum voluntas peccat, sed quasi invitè permittendo peccatum Petri non juxta inclinationem & electionem suam: ut postquam voluntas libere elegit malum præ bono, omnipotentia cum indifferentia sua voluntati creatæ applicata simul hanc ejus liberrimam determinationem efficiat. unde tunc quasi voluntas omnipotentia concursum rapit ad suam actionem pravam. *Vult ut nos possimus resistere, desiderat ut non resistamus, nihilominus sinit ut nos resistamus si velimus* S. Franc. de Sales 8. de amore DEI c. 3. Habitus quidem vitiosus, essentialiter ordinatus & ex natura sua in actu primo determinatus ad actiones malas, est per se causa peccati licet in actu secundo ad actuale exercitium determinetur à voluntate; DEUS verò propensus non est ad peccatum, sed præcisè influat ut libertas creata impotens sola agere ad libitum operari possit. Adeoque necessarium DEI prædicatum est posse influere, sicut necessariam est posse libertatem dari ad malum. Si autem voluntas prædefinita sit ad materiale peccati ( quia in illis circumstantiis actionem eliceret, in quibus moralis malitia

connexa esset cum actu peccaminoso ) jam determinaret DEUS ad illam malitiam moralem inseparabiliter cum actu connexam. Sanè qui actu corrente Cajus, & viso hoc cursu ex DEI decreto diceret Cajus non currit, in tali circumstantia mentiretur: & consequenter mendacium imputaretur DEO, in quantum voluisset hanc propositionem dici non nudè sumtam sed quando non posset non esse falsa & mendax.

## THESIS XIV.

### *Mysterium SS. S. Trinitatis.*

**T**res sunt qui testimonium dant in cælo, Pater Verbum & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt 1. Joan. 5. v. 7. Quod summum Catholicæ veritatis mysterium ex sola Divina revelatione cognosci potest: dum nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius & cui voluerit Filius revelare Matt. II. v. 27. Tamque excedit intellectum creatum ut nullo naturali lumine demonstrari possit, cum nullum medium naturale habeat pro actu evidenti quod assentire cogat. Per nullum effectum Trinitas probari potest: quod omnes effectus in creatis fiant à DEO ut unus est, sive ratione potentia creativæ prout hanc omnes Personæ Trinitatis eandem habent; multoque minùs per causam demonstrari potest, si nullam habeat. Intellectus tamen rationes congruas, postquam jam nobis revelatum est, invenire potest; ex quarum veritate probet non posse mysterium Trinitatis in se demonstrari impossibile, sive ex quibus ostendatur convenientia tanti mysterii rationes omnes solvendo quæ opponi possent. Tres ergo Personæ realiter distinctæ

Etæ dantur in una essentia , & ex his agnoscimus unam  
 improductam reliquas procedentes ; dum ex Conc.  
 Tolet. XI. tempore Adeodati Papæ celebrato, *Patrem*  
*quidem non genitum non creatum, sed ingenitum pro-*  
*fitemur ; & cum Symbolo Nicæno credimus firmâ*  
*fide Filium DEI unigenitum & ex Patre natum-*  
*DEUM verum de DEO vero , genitum non factum*  
*consubstantialem Patri - & in Spiritum Sanctum*  
*qui ex Patre Filioque procedit.* Etiam si verò neque  
 Amor procedere nascendo possit, solum tamen Pa-  
 trem vocamus ingenitum quòd omnem passivam pro-  
 ceptionem excludat : *Pater enim solus non est de alio,*  
*ideo solus appellatur ingenitus* S. Aug. 15. Trin. c. 26.  
 Quod nomen proinde significat & notificat Perso-  
 nam Patris, non tamen formaliter Personam consti-  
 tuit cùm nihil positivum dicat. Si autem formale  
 constitutum quærat, juxta nos sola Relatio Per-  
 sonam constituit in suo Personali esse : non tamen  
 origo ut progressus quidam est tantùm radicaliter  
 Personam constituens. Tres autem Relativæ subsi-  
 stentiæ Personarum dantur in DEO ; quæ sicut op-  
 positionem adferunt, sic adferunt distinctionem. E-  
 quidem *Sabellianorum ista est pravitas in unam Hy-*  
*postaticam Personalem substantiam tres confundere*  
*substantias, & in unam Personam easdem tres con-*  
*spergens Personas* Synod. Oecum. VI. Constantinop.  
 III. sub Agat. Papa Act. XI. Præter has verò subsi-  
 stentias Relativas sive Personales, admittimus unam  
 absolutam substantiam & per se existentiam Deita-  
 tis; quam cum Suar. 4. Trin. c. II. n. 3. dicimus *per se &*  
*completè existere ex vi suæ existentie essentialis, atque a-*  
*dedè illam verè dici per se existentiam ex præcisò con-*  
*ceptu absoluto.* Neque subsistere absolutè, seu non indi-  
 gere principio in cujus virtute Divinitas subsistat ( quia  
 est summa perfectio ac simpliciter simplex ) à nobis



Divinæ substantiæ negari potest. Vox *DEUS* prædicat naturam Divinam de tribus Personis, quæ etiam in se est habens esse subsistens nulla Personarum distinctione intellectâ; unde quamvis prædicet naturam Divinam ut naturam Divinam & non ut quid subsistens, nihilominus tamen hoc quod prædicat quid subsistens est S. Th. 1. Dist. 21. q. 2. a. 1. ☉. Quæ licet ulterius terminetur quoad subsistendum incommunicabiliter in tribus Personis, non necesse tamen est eam ulterius terminari quoad subsistendum simpliciter; quando proprietates Personales hoc solum habent quod supposita Divinæ naturæ ab invicem distinguuntur, non autem sicut principium subsistendi Divinæ essentia: ipsa enim Divina essentia est secundum se subsistens &c. S. Th. q. 9. de poten. a. 5. ad 13. Ad solam subsistentiam Personalem requiritur, ut sua virtute incommunicabilem naturam reddat: & quia subsistentia creata essentialiter in omni natura rationali creata est simul personalitas, propter hunc suum conceptum incommunicabilem naturam reddit ut tanquam hypostasis Personam constituat. Unde in quantum importat Hypostasim, Suppositum, Personam: sumta hoc sensu subsistentia est incommunicabilis. Prout autem perfectitatem existendi dicit in DEO, communicatur eadem ratione sicut omnibus tribus Personis communicatur natura.

## THESIS XV.

### *Processiones in Trinitate.*

**C**ertum est plures Personas realiter distinctas dari in DEO, duasque realiter viâ originis productas esse: ut inde credamus productiones five processiones reales dari in DEO. ego enim

ex DEO processit ait Christus Joan. 8. v. 42. (quod de processione æterna intellexit S. Aug. 42. Joan.) promittens nobis *Spiritum veritatis qui à Patre procedit* Joan. 15. v. 26. Duæ sunt tantùm processionēs, nec multiplicari possunt intrà eandem rationem formalem : dum cuius correspondet terminus adæquatus, Verbum generationi & Spirationi Amor. In nobis potentiam limitatam habentibus, actus cognitionum & volitionum tantùm sunt actus imperfecti: nullusque repræsentat omne objectum quod cognosci potest, nec facit amari omnia objecta quotquot à nobis amari possunt, ut ea ratione dentur in nobis plura verba & plures amores limitati. Vicissim DEUS actu unico comprehendit omnia quæ possunt terminare scientiam infinitam DEI, & actu unico voluntatis omnia quæ possunt terminare amorem infinitum DEI: ut tantùm sit unum Verbum in DEO & unus Amor, nec plures processionēs aut pauciores dentur quàm duæ. Sic præter processionem Verbi requiritur distincta processio, ut amor producat per voluntatem DEI: dum quævis earum intensivè tantùm quoad unam rationem adæquat totam virtutem productivam, sed non extensivè quoad rationes cuiusvis actûs qui DEO convenire possunt. Cùm autem quælibet Persona intrà DEUM procedens habeat unam eandemque essentiam à se necessariò existentem, sive quam habet principium productivum alterius: quævis ex sua natura necessariò existit tanquam procedens, sicut necessariò existit principium tanquam producens, ac proinde nihil accipiunt ex indigentia. Pari de causa Persona quæ procedit intrà DEUM, in sola ratione suppositi est posterior producente: ambæ tamen procedunt immanenter, & in identitatem naturæ, Dùmque accipiunt eandem essentiam, ut hæc est improducta & à se: posterioritas

ritas solius originis non tollit rationem entis à se, sicut non facit quò minùs sint DEUS. Filius ità à Patre procedit, ut solius Verbi processio sit generatio: *vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre* Joan. 1. v. 14. Etiam si verò per ambas processiones termino communicetur quoad rem tota Divinitas, ut identicè omnes Personæ unus sint DEUS; non tamen Spiritui Sancto communicatur vi processionis ( quando ad solum Amorem producendum virtus spirativa directè tendit, & non ad naturam communicandam ) sed ex vi processionis formaliter communicatur, quod est ratio terminandi talem processionem. Reliqua ad eam consequuntur & concomitanter tantùm se habent: ut Amor identicè ac realiter solùm procedat tanquam DEUS, dum quidquid in DEO est DEUS est. Huncque Amorem sui mutuum, seu Spiritum Sanctum, per unam eandemque virtutem spirativam spirat Filius unà cum Patre: *& minùs quàm inter duos charitas haberi non potest* S. Greg. hom. 17. in Evang. Unde sùnt quidem duo Spirantes, sed Spirator tantùm unus. *Est verò secundùm Doctores tam Græcos quàm Latinos sola Relatio, quæ multiplicat Personas in Divinis processionibus quæ vocatur originis - & nulla est alia ratio distinctionis in Divinis, nisi propter hoc quòd aliqua Persona sit ab alia* Joan. Theol. in Flor. Sess. 18. ut si non procederet Spiritus Sanctus à Filio, neque ab illo distingui posset: dum in Divinis omnia sunt unum, *ubi non obviat aliqua Relationis oppositio* S. Ans. de process. Spirit. S. c. 2. Quo casu Spiritus Sanctus cum Patre Spirante oppositus & ex hoc realiter distinctus esset tantùm à Patre: ac sola ratione nostrâ non tamen realiter aut origine prius esset Verbum quàm Amor, sed forent Persona realiter unica; sicut in Patre Persona generans & spirans est una Per-

Persona, sibi que identificat duas origines activas & disparatas duas Relationes. Neque oppositus est Spiritui Sancto per suam Filiationem purè quàm talem formaliter, sed radicaliter tantùm in quantum Filiatione petit habere identificatam sibi Spirationem activam; quæ tamen potiùs dicto casu haberet identificatam sibi Spirationem passivam. Nunc autem procedit Amor à Verbo, ut duas Personas sibi oppositas & realiter à se distinctas constituent. Quia tamen Filius verè à Patre procedit: etiamsi Spiritus Sanctus immediatè esset à solo Filio, adhuc mediatè oppositus & realiter distinctus ac procedens esset à Patre.

## THESIS XVI.

### *Relationes in Trinitate.*

**D**Uplex illa origo fundat in DEO quatuor Relationes reales: Paternitatem & Filiationem fundatas in processione per intellectum, activam & passivam Spirationem fundatas in processione per voluntatem. Quia verò tres tantùm Relationes sibi opponuntur, ea de causà tres tantùm distinguuntur inter se realiter. Activa Spiratio est quidem Relatio realis prout respicit realem terminum, & distincta est à correspondente sibi processione; sed identificata realiter cum Paternitate ac Filiatione, nullamque cum illis oppositionem habens: quòd Spiritus Sanctus non sit Pater Filii, aut Filius Patris. Neque ex eo invehitur realis distinctio, quòd Pater Relationem hanc Spiratoris à se habeat, quam Filius habet à Patre: aut quia etiam naturam Filius habet à Patre & Pater à se, non eadem natura esset  
in Pa-

in Patre quæ per originem communicatur Filio. Omnes Relationes Divinæ perfectionem dicunt in sua ratione etiam relativa. Imò si nullam dicerent bonitatem, Filius non amaret Patrem quâ Patrem, neque Pater Filium amaret quâ præcisè Filium: consequenter Spiritus Sanctus non esset mutuus Amor inter Patrem & inter Filium prout sunt tales, sed esset essentialis amor DEI erga seipsum ut unus est. PP. quidem bonitatem unicam agnoverunt ut hæc est essentialis, simul tamen admiserunt tres Personales ac Relativas. *Nihil prohibet dicere duas Personas, Patrem & Filium, esse duas res; si tamen intelligatur cujusmodi sunt res. non enim sic sunt Pater & Filius duæ res, ut in his duabus rebus intelligatur eorum substantia, sed eorum Relationes* S. Anselm. de Incar. Verbi c. 3. Quamvis autem perfectionem hanc relativam non simpliciter simplicem & propriam uni Personæ, non includat altera formaliter: includit eam tamen eminenter, & per circuminseffionem. *Ego in Patre & Pater in me est* Joan. 14. v. 10. *Totus Pater in Filio & Spiritu Sancto est, totus Filius in Patre & Spiritu Sancto est, totus quoque Spiritus Sanctus in Patre & Filio* S. Fulg. de Fide ad Petrum Diac. c. 1. Hinc prout Persona quævis omnes perfectiones simpliciter simplices in se continet formaliter, & omnes relativas insuper eminenter: omnes sunt æquè perfectæ. *Relatio realiter existens in DEO est idem identitate immediatâ essentia secundum rem, & non differt nisi secundum intelligentia rationem - patet ergo quòd in DEO non est distinctio immediatâ aliud esse Relationis, & esse essentia, sed unum & idem* S. Th. 1. p. q. 28. a. 2. ☉. unde essentia & Paternitas inter se nullam oppositionem dicunt in Patre, consequenter *Relatio immediatè ad essentiam comparata non differt re sed ratione tantum* q. 39. a. 1. ☉. Quæ

1. ○. Quæ tamen essentia à Relationibus distingua-  
tur realiter mediatè seu in tertio, ut cum A. R. P. Thy-  
so Gonzalez Societatis JESU Præposito Generali  
tomo 1. Disp. 1. n. 78. nullam aliam distinctionem vir-  
tualem in Divinis admittamus *inter essentiam & Re-  
lationes, præter illam quæ salvâ Fide negari non potest,  
& consistit in distinctione reali in tertio.* Sic perFi-  
liationem tanquam ratione tertii, natura Divina quam  
realiter sibi identificat Filius non identificando sibi  
realiter Paternitatem, opponitur Paternitati & me-  
diatè distinguitur à Paternitate aliàs identificata se-  
cum in Patre. Sicut ferè intellectus dum apprehen-  
so conceptu animalis intentionaliter sibi unit & quasi  
identificat animal, non uniendo aut identificando  
sibi rationale, intentionaliter in se distinguit ani-  
mal à rationali: ut identitate eorum stante in Pe-  
tro, distinguantur intentionaliter in intellectu præ-  
scindente. Quòd si Personalitates Divinæ stante ear-  
um distinctione reali inter se, identificatæ sunt rea-  
liter mediatè in aliquo tertio & cum eadem essentia  
Divina (*quia Relationes ipsæ non distinguuntur ab  
invicem, secundum quod sunt realiter idem cum essen-  
tia* S. Th. 1 p. q. 39. a. 1. ad 1.) vice versa natura Di-  
vina stante immediata identitate sui cum quavis Per-  
sonalitate, realiter mediatè seu in tertio à qualibet  
Personalitate distincta est ratione oppositæ Perso-  
nalitatis.

## THESIS XVII.

### *Angelorum existentia & distinctio.*

**A**ngelus Officij nomen est, non naturæ. quæris  
nomen hujus naturæ? Spiritus est: quæris offi-  
cium? Angelus est, Ex eo quod est, Spiritus est:  
ex eo

*ex eo quod agit, Angelus est* S. Aug. conc. i. in ps. 103.  
Quod nomen absolute sumtum dicitur de Angelis bonis & Sanctis, ut tamen convenire possit *Diabolo & Angelis ejus* Matt. 25. v. 41. Angelorum existentia certa ex Fide, discursu Philosophico tantum probabiliter suaderi potest non vero demonstrari. Non ex prædicato eis intrinseco, dum existentia non involvitur in essentia. Neque ex causa finali evidenter probari possunt, quod nullo naturali lumine assequamur finem à DEO libere præfixum Angelis aut toti universo. Non ex productiva causa, quod DEUS libere creârit Angelos potens non eos creare: & effectus omnes ex quibus probari solent Angeli, in alias causas refundi possent. Si causa univoca & in se necessaria tantum ut agens naturale agat, quâ talis intendit ex natura sua perfectam assimilationem effectus; sed causa æquivoca intellectuales & in operando liberrima (qualis est auctor universi DEUS) intendit assimilationem effectus non quantam absolute potest sed quantam vult. Tota universi perfectio salvaretur, modò in esse ideali sit assimilatum DEO; non tamen sequitur universum DEO producenti simile esse in gradu intellectivi, ut evidenter inde arguamus existentiam Angelorum. Verum est omnem effectum defectuosum esse, nisi perfectiones includat sibi naturaliter debitas; an vero intellectus Angelicus sit necessarius universo, nulla naturalis ratio demonstrare potest. Si tamen Angelorum carentia foret imperfectio universi, posset non esse privativa sed negativa tantum: aut summum privativa probabiliter, citra evidentiam naturalem. Habet quidem virtutem conditionatè movendi ad sui comprehensionem, ut si comprehensionis capax intellectus existeret, universum ab intellectu creato comprehendi posset; non tamen virtutem absolutam  
nobis

nobis per lumen naturale notam, ut indè evidenter probemus dari defacto in natura rerum Angelos. Semel à DEO producti, ex natura sua intrinsecè sunt incorruptibiles ac indestruibiles: quamvis à DEO annihilari possent, qui *solus habet immortalitatem* ut essentialem 1. Tim. 6. v. 16. Quia tamen libere produxit Angelos dando naturam immortalem, suàmque illis conservationem tanquam absolutus Dominus denegare posset: hoc sensu *gratiam* (creationis & conservationis, non ut oppositam naturali exigentiæ) à DEO sortiti sunt, *quæ immortalitatem largitur & incorruptionem eis providet* Syn. VI. Act. XI. Dividuntur in tres Hierarchias seu Principatus sacros, Hierarchiæ in novem choros; in quibus evidenter sunt multiplicabiles, & probabiliter defacto plures dantur distincti specie, ac intrà eandem speciem distincti solo numero. *Valde autem ruditer argumentantur ad ostendendum, quòd DEUS facere non posset quòd sint multi intellectus ejusdem speciei* sic de Averroistis S. Th. Opusc. 25. aliàs 16 c. 5. *concludere volentes quòd nulla forma separata est una numero, nec aliquod individuum - quia non habet in se causam numeri, eò quòd causa numeri est à materia. Sed ut à posterioribus incipiamus, videntur vocem propriam ignorare in hoc quòd ultimò dictum est. Dicit enim Arist. - quòd nihil est aliud unum præter ens; substantia ergo separata si est ens, secundum suam substantiam est una. - Nec iterum hoc verum est, quòd omnis numerus causatur à materia: frustrà enim Arist. quævisset numerum substantiarum separatarum &c. Quamvis Angeli materiã careant, omnes ad mentem Thomistarum specie ac numero distinguuntur: qualem in eis radicem habent, vi cujus Angelos distinguamus numero licèt non solo? Vocatur quidem distinctio materialis, prout materiale significat quid.*



quidquid est extra quidditatem rerum; non tamen desumitur à materia prima, ut nulli Angelorum individuatio convenire possit. Aut summum in rebus corporeis sic desumitur quoad nos. Imò ratio individui uni tantum individuo convenit, in quantum rationem ultimò distinctivam agit ab omni alio: materia prima multis compositis convenit ( ligno & igni: consequenter ignis ex ligno genitus distinguetur numero, & tamen eandem materiam communem habet quâ lignum constabat ) neque ut talis rationem ultimò distinctivam agit. Quo sensu opponitur individuatiioni, impossibile autem est unum oppositorum esse intrinsecum fundamentum alterius. Juxta nos omnis natura universalis ex hoc essentiali conceptu petit, ut tanquam prædicatum superius de inferioribus affirmari possit; & quia individuum universali opponitur, solùm ex sua ratione petit nè tanquam superius prædicatum possit convenire inferioribus. A tota entitate desumitur fundamentum primum & radix individuatiionis.

## THESIS XVIII.

### *Cognitio Angelica per species.*

**R**adicaliter & principaliter intellectivi sunt per substantiam suam, formaliter ac instrumentaliter per distinctum à se intellectum; quem exercere possunt componendo & dividendo aut discurrendo, dum in materia non evidente assensum præbent absolutum. *Quia igitur natura intellectualis in Angelis perfecta est, invenitur in eis sola cognitio naturalis non autem ratiocinativa - hæc autem dicta sunt prætermisissis his quæ supra naturam sunt* S. Th, 1. p. q. 60, a, 2, 0. Sic etsi Angelus quidditati-  
vam

vam causæ cognitionem habeat, non tamen immēdiatè videt quid causa contingens sit factura; unde si actu absoluto iudicet contingentem causam hunc tantum effectum posituram, componit. Et quia dæmones sciverunt Filium DEI in carne venturum: cum deinde Christum in mundo conversantem viderent, dubitârunt primò de ejus Divinitate. Postquam viderunt esurientem, putabant Christum non esse DEUM; post visâ prodigia & miracula Christi, per novam conjecturam cœperunt suspicari esse verum DEUM. Hic autem fuerunt distincti actus, quòd actu evidente cognoscerent esurire Christum, & actu obscuro erroneè putarent Christum non esse DEUM: & fuit aliqua successio actuum, ut prius naturâ esurientem viderent, & inde motivum sumerent putandi Christum non esse DEUM, cum vero influxu in sequentem actum. Qui tamen intellectus Angelicus ratione sui non habet virtutem adæquatè completam ad actum cognoscendi, nisi ad eum influxu partiali objectum juvet; sed præter distinctum intellectum opus habent speciebus impressis, ut possint cognoscere objecta extranea. Se quidem unusquisque quoad substantiam & accidentia sua, & omnes proprietates sibi intrinsecas intuetur sinè speciebus superadditis; sed nullum objectum materiale cognoscunt sicut est sine speciebus. Imò ut unus Angelus cognoscat alterum, quem sibi locali præsentia conjunctum habet, indiget vicaria specie in cuius virtute intentionaliter reddatur præsens; aut nullus cognoscat alterum quem non physicè præsentem habet, cum neque hominis intellectus pendat à tali conditione. Nullus quoque pluribus adesse simul potest eodem tempore: ut nisi mediante specie videatur, nullus eodem tempore à pluribus videri possit. Has verò species intelligibiles Ange-

ius à nullo objecto extraneo desumptas habet, sed DEUS defectum aliarum causarum quoad hoc supplet: existentiam objectorum determinans, & simul infundens principia quorum auxilio videri possint. Omnium objectorum species quæ subsistant naturali scientiæ Angelorum, simul à primo instanti creationis infusas habent dum omnes Adamo pariter infusæ erant; quod multò ampliùs competebat Angelo, nè propter defectum specierum ignorans esset in primo instanti. Tu Cherub *perfectus in viis tuis à die conditionis tue* Ezech. 28. v. 15. Cùm autem infundantur per actionem ut naturalem tantùm & juxta exigentiam naturæ Angelicæ, tantùm sunt formæ naturales: sicut in nobis anima etiamsi solam DEI actionem exigat, adhuc est forma naturalis quia fit juxta exigentiam naturalem materiæ ad ejus unionem dispositæ, ut huic exigentiæ satisfiat. Habent species universales, & quò sunt superiores Angeli, magis universales & ex hoc pauciores habent: ut plura objecta extranea cognoscant simul per unam speciem æquivalentem pluribus, & quodvis objectum singulare distinctè in sua ratione atomata intueri possint. Sic visus colorem videt non sonum, vicissim hunc auditus sentit non verò colorem terminativum solius visûs; at sensus communis ut excedens vires omnium externorum sensuum, ad omne objectum sensibile extendi potest ut quodvis secundùm rationem suam singularem attingat. Dum verò unicum objectum quisque sensus externus percipit: ad plura objecta cognoscenda dantur animali diversi sensus, ut semper animal perfectius plures potentias habeat ad actus sentiendi. Sed in intellectu juxta nos modus perfectior cognoscendi est, qui est in cognoscendo simplicior seu habens pauciora principia cognoscendi; propter quam causam perfectior

fectior intellectus Angelicus in suum objectum simplici-  
ori siue magis generali conceptu tendit, ut semper paucioribus speciebus indigeat ad claram visionem plurium objectorum. Neque tamen pariter superiores Angeli ex ea ratione potentias pauciores habent, dum omnis creatus intellectus per se à voluntate distingui debet: & unus cuilibet intellectus una virtus volitiva sufficit, ut omnem veritatem ac bonitatem tangant.

## THESIS XIX.

### *Objectum cognitionis Angelicæ.*

**S**EIPsum Angelus cognoscit actu quidditativo & intuitivo ac comprehensivo, neque interrompere hanc necessariam sui visionem potest; quam ubi omitteret aut abrumperet, nunquam ad eam resumendam denuo applicari posset pro sua libertate. Ad intuendas quoque res sibi extraneas actualis cognitio sui est quasi fundamentum omnium reliquarum; sine qua nihil aliud ad libitum suum contemplari posset. Si verò species objectorum sibi concretas videat, jam saltè confusè vim earum novit seu quidnam singulæ repræsentent: & hac ratione liberum cuivis est uti speciebus quibuscunque volet, ut clarè objectum videat quodcunque volet. Eadem necessitate cognoscunt DEUM, sed tantùm abstractivè per visionem sui: nec habent propriam quidditativam speciem, ut DEUM virtute naturali cognoscant in sua Deitate sumtum. Aut quia repugnat intuitivè videri DEUM non visis Personis, naturali sua visione viderent DEUM ut Trinum. Altiorum Angelum intuentur, sibi æqualem comprehendunt: multoque magis res omnes inferiores in

perfectiōe. Clara cognitio objectorum materialium nullum dedecere aut superare potest, si DEO competit & homini. Quando futurus aliquis eventus pendet à causâ necessaria & immutabili, cujus naturalem efficaciam comprehendunt, certò in causâ cognoscunt rem futuram: sicut ex motu cœlorum Astronomus potest prædicere eclipsim solis. Non tamen futura contingentia præscire possunt per solam virtutem naturalem, dum à libertate creatæ pendent: *annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dij estis vos* II. 41. v. 23. Propter quam causam eorum prædictio passim divinatio vocari solet. Ut sinè fallibili conjectura certò cognoscantur præterita per actum naturalem, opus est nova specie acquisita; per quam recordatur Angelus tale objectum à se fuisse visum, ut illud proinde aliquando fuisse in rerum natura sciat. Dum autem species memorativa ad hanc cognitionem influit: pro actu clariore partialiter intellectum complet ac juvat propria objecti species, ut ita proponat rem fuisse sicut tunc fuit. Species infusa nunquam seorsim sufficit; quæ suum objectum repræsentat præcisè sumtum & quoad essentiam objecti possibilem, quin tale objectum jam fuisse sciant ex sola efficacia speciei congenitæ. Quod suum objectum repræsentat eodem modo, seu talis essentia jam extiterit sive non: nunquam intellectum determinans ratione sui, ut eâ inspectâ extitutum vel jam extitisse objectum sciat. Et quia species concreata Angelo in omni eventu vim eandem habet; si tanquam futurum repræsentat, objecto jam actu existente repræsentat falsum: si tanquam præteritum repræsentat, ante actualem existentiam aut illo existente similiter repræsentat falsum. Hæc tamen existentia est conditio, sinè qua nullum objectum intuitivè

tivè cognosci posset ; sed postquam existunt in natura rerum, sic sumta determinant intellectum Angelicum ad sui visionem. Dúmque jam clarè objectum intuetur, priùs tantùm abstractivo conceptu notum : non fiet mutatio speciei congenitæ quòd sibi succedant intrinsecè diversi actus, sed tantùm aliter terminatur una eadèmq; species. Sicut fit quando per solam objecti mutationem mutatur actus de vero in falsum, retinendo eandem quidditatem. Nullus potest naturaliter quidditivè cognoscere, vel actu directo intueri ens in substantia supernaturali aut supernaturalem modum ; quòd nulli Angelo debeat magis concreata species de ente supernaturali quàm ens supernaturale, neque per solam virtutem naturalem acquiri possint. Et postquam aliqua supernaturalis entitas facta est, nullus evidenter id conjectare potest : aut tanquam possibilem abstractivè cognoscere. Qui estò contradictionem nullam ex parte objecti videant : non sequitur involvi nullam, ut certò effectus supernaturales quoad suam possibilitatem cognoscant. Sic quamvis comprehensivè videant Humanitatem Christi non visâ subsistentiâ creatâ per quam subsistat naturaliter, non possunt naturali evidentiâ judicare nullam in Christo adesse Personalitatem creatam ( cum possit negari necessarius concursus DEI ad eam videndam, etiamsi sublata non esset ) sed debent iudicium absolutum suspendere de tanto arcano si errare nolint : aut solùm iudicium conditionatum eliciunt, ut dicant spoliatam esse in Christo subsistentiâ creatâ per quam subsistat naturaliter, nisi hanc DEUS occultâset. Res supernaturali modo factæ, sed quoad entitatem naturales, postquam sunt factæ intuitivè cognosci possunt per vires intellectûs Angelici naturales, Unde si duo homines darentur quorum unus

fuiſſet genitus , alter à morte ſuſcitatus : tali caſu Angelus primò poſt illos creatus intueri utrumque poſſet per actum naturalem , licèt non ſciret quomodo producti fuerint. Res quoque ſupernaturales tantùm in modo cognoscunt abſtractivè priuſquam fiant , in quantum poſſibiles. Cui videlicet notum eſt agens creatum indigere concurſu DEI , quem tamen concurſum libere agenti offert ut eum proinde creaturis negare poſſet : ſcit quoque evidenter poſſe à DEO cohiberi naturales cauſas in ſua actione , puta nè ignis comburat aliàs vicinam ſtupam.

## THEſIS XX.

### *Locutio & illuminatio Angelica.*

**S**ECRETUM alieni cordis ſuo intellectu confuſè tantùm per quasdam conjecturas arguere ſuſpicando poſſunt , non tamen ſecluſa revelatione certò ſciunt cogitationes internas aut corda aliena inſpiciunt : ut hæc notitia tribuatur ſoli DEO , *quia tu nõſti ſolus cor omnium filiorum hominum* 3. Reg. 8. v. 39. Hinc certum Deitatis argumentum erat quòd Chriſtus noverit arcana cordium , ut Patres concludunt evidenter ex hoc demonſtrantes fuiſſe DEUM , cui ſoli arcanorum cognitio & ſcrutatio alieni cordis eſt actus naturalis : *videns autem cogitationes eorum JESUS , nullusque poteſt videre cogitationes eorum niſi ſolus DEUS , ergo Chriſtus DEUS eſt* S. Hier. in 17. Jerem. DEO id ſoli convenire etiam infideles ſciunt ex ductu ſolius rationis , neque idiota ignorat : *ſi autem omnes prophetent , intret autem quis infidelis vel idiota - occulta cordis ejus manifeſta fiunt , & ita cadens in faciem adorabit DEUM pronuntians quòd verè DEUS in vobis ſit* 1. Cor. 14. v. 24. & 25.

Qui

Qui actus occulti sunt ex natura sua, dum omnis natura intellectualis creata petit ne antè revelationem secreti cogitationes suas alia creatura videat, vel actu abstractivo cognoscat solâ virtute naturali. Unde non sola libertas naturale secretum petit: dum multæ aliæ operationes liberæ postquam sunt factæ distincta cognitione videre possunt, quin propter libertatem Angelis occultentur purè quâ talem. Ceterùm libertas actuum est radix occultationis, propter quam nulli Angelo debeat species ut propter defectum specierum videre illos non possint. Pariter negamus ex hoc præcisè Angelum in tali visione naturaliter impediri, quia non habet paratum actualem concursus DEI; sed magis ideo concursus DEI negatur Angelis, quòd propter defectum speciei nullum aliunde videre possint. Si autem speciem alieni actus infudisset Angelo, jam tali naturæ deberetur concursus DEI pro actu secundo, non negandus semper & quidem omnibus absolute Angelis. Imò sic neque formicam naturaliter videre posset, si DEUS concursum actualem negando ab illa visione Angelum impedire vellet. Dum unus Angelus visione clarâ intuetur alterum sicut est totum cognoscendo, videt per illam species congenitas alteri tantum in sua entitate sumtas: non tamen cognoscit liberum earum usum, ut actus internus quem utendo sua specie producit, adhuc occultus maneat. Quos sibi manifestant non per cessionem juris, sed loquens excitat audientem novam sui actus imprimendo speciem; sinè qua prout speciebus actuum internorum carent, non habent virtutem sufficienter completam ad eos intuendos factâ solâ cessione juris. *Sicut sensus movetur à sensibili, ita intellectus movetur ab intelligibili; sicut ergo per signum sensibile excitatur sensus, ita per aliquam virtutem intelligibilem potest excitari*



*mens Angeli ad attendendum* S. Th. 1. p. q. 107. a. 1. ad 3. Si loquens audientem non excitaret, posset non velle attendere: adeoque esset tantum casualis attentio ad talem locutionem. Sicut si homo loqueretur alteri per solam scripturam expressivam interni actus, non tamen oculos aliorum hominum ad suos characteres legendos applicare posset. Hinc licet Angelus concreatas habens objectorum species prout hæc complent naturalem ordinem universi, nullam à rebus ordinis naturalis speciem de novo acquirat: acquirunt tamen à rebus ordinis moralis ex se occultis Angelo, uti sunt actus interni & secreta cordis. Et quia Angelus seipsum suasque species per actum naturalem necessario contemplatur, neque à tali earum visione cessare potest: si novam speciem alieni actus præter concreatas videat, scit sibi manifestatum per locutionem esse; quâ tamen libere deinde utitur, ut clarè objectum locutionis cognoscat & actum alienum intueri possit. Quo facto directam cognitionem habebit de actu alieno, indirectam verò de ejus objecto: dum secretum cordis suamque cogitationem loquens intuitivè revelat, res autem cogitatas abstractivè tantum. Cum autem audiens intuitivè videat hunc actum loquentis, immediatè discernit quis sibi loquatur: & conceptum suum manifestare per locutionem potest etiam distanti Angelo. Quæ purè mentalis actio loquentis nullam requirit propinquitatem secundum situm: cum nullum medium corporale transeat, neque per corpus interjectum impediri possit. *Actio verò quâ influere dicitur in animam nostram confortando eam ad intelligendum, non oportet quòd transeat per medium corporale* S. Th. Quodlibet 9. q. 4. a. 5 ad 2. Beati Angeli illuminari & illuminare possunt de rebus ignotis, quæ excedunt cognitionem

& co-

& cognitionis modum naturalem. Quæ illuminatio Angelorum essentialiter est locutio, etiam si locutio possit non esse illuminatio audientis. Angeli primæ Hierarchiæ seu Assistentes, *Throni scilicet Cherubim & Seraphim - sine ullo mediatore aut interprete à DEO condiscunt, utpote ceteris sublimiores & DEO propinquiores, & ab iis erudiuntur inferiores ordines* S. Athanas. de communi essent. fin. Neque opus est toti Hierarchiæ communicari illuminationem factam à DEO, sed potest secunda Hierarchia à Cherubinis sive à Thronis illuminari, circa res nulli Seraphino notas. Infima Hierarchia omnes illuminationes recipit in cursu communi mediante secundâ, hæc autem illuminatur mediante primâ.

## THESIS XXI.

*Voluntas flexibilis, & peccabilis etiam in primo instanti.*

**V**oluntas Angelica est intrinsecè naturâ suâ flexibilis & mutabilis circa objectum electioni suæ indifferenter oblatum: ut postquam aliquid elegerunt etiam ex plena deliberatione, hanc electionem suam pro sua libertate postea retractare possint & actum elicere priori contrarium. Sic multi defacto retractârunt priorem actum: dum omnes Angeli amore libero in primo instanti appetitativè amârunt DEUM, mox autem rebelles Angeli oderunt DEUM per actum specie oppositum alteri. *Sunt quidem illi naturâ itâ comparati ut ad malum egre moveri, non tamen omnino non moveri possint: nunc verò eâ jam conditione, ut nè vix quidem moveri atque inflecti queant; quod tamen non eorum naturæ tribuendum est* S. Damasc. loquens de Sanctis Angelis

lis 2. Orth: Fid: c. 3. Et quamvis objectum electionis actu comprehensivo vidisset, quia in rebus limitatis invenit rationem boni & mali, libere seipsum applicat ad primam electionem: & electione factâ pristinam libertatem retinet ut suam electionem aut continuare possit, aut eâ relictâ & abruptâ libere tentare novam. Dum verò objectum comprehendit, visisque in eo omnibus motivis judicat tale objectum eligendum esse: evenire quandoque potest, ut novam postea circumstantiam videat propter quam tale objectum displicere deinceps possit; hâc autem cognitâ mutabit suum dictamen practicum ex parte intellectûs, & voluntatem flectet ut actum eliciat priori oppositum. Sic quando objectum Angelus amavit priùs à DEO permissum, potest hic amor prohiberi: & consequenter stante hac lege tenetur Angelus mutare suum dictamen practicum, & actum voluntatis pariter retractare debet. Ut autem mediam voluntatem habeant inter supremam voluntatem DEI, & inter voluntatem humanam: satis est nunquam mutari voluntatem Divinam in suo proposito, humanam facillimè, non nisi difficulter Angelicam ut immobilis sit moraliter post suam electionem deliberatè factam. Est quoque voluntas Angelica naturâ suâ defectibilis & peccabilis; quorum dum multi defacto peccaverunt, capaces erant ad malum morale ut peccare possent: tùm autem reliqui eandem naturam habeant, signum est omnes fuisse peccabiles naturâ suâ. *Angeli peccaverunt & demones facti sunt - & qui non peccaverunt, peccare potuerunt: & cuicunque creaturæ rationali præstatutur ut peccare non possit, non est hoc naturæ propriæ sed DEI gratiæ* S. August. 3. cont. Maxim: c. 12. Et quia Angeli voluntatem liberam in primo instanti habuerunt, cum sufficienti cogni-

tione boni & mali sed tantum indifferentem propositi, neque in primo instanti necessitati fuerunt ad bonum honestum: absolute capaces erant ut primo instanti eligerent morale malum præ bono honesto, adeoque peccarent. Sic omnes libere fuerunt meriti in primo instanti, adeoque pari ratione peccare in illo potuissent. Imò habebant obligationem credendi: & quia libere crediderunt, libere hæc legem violare poterant omittendo fidem, ut primo instanti creationis peccarent. Quidquid necessario emanat primo instanti existentiae, spectat ad esse completum: consequenter quia causa producendo effectum suum dat esse completum, adscribuntur eidem causæ. Dum autem exercetur operatio electiva, quia has ponit voluntas determinando seipsam pro sua libertate, non adscribuntur causæ sed tantum voluntati libere eligenti. Unde si primo instanti creationis peccassent, nondum hæc prima libera operatio Angeli in DEUM refundi posset, cui sola operatio naturalis tribuitur. Quòd si peccare potuerunt secundo instanti DEO solum permissivè concurrente: possent & primo instanti creationis sine positivo influxu DEI in ipsam moralem malitiam peccati, quamvis ad ejus substratum materiale concursum dando physicam entitatem actus sua quoque actione poneret. Qui tamen habebant impotentiam moralem, propter quam primo instanti creationis peccare nullus posset; & erat consentaneum Divinæ Providentiæ ut primo instanti specialem curam Angelorum haberet, nè fortè occasio daretur malevolis tale peccatum adscribendi DEO si lapsum eorum permisisset quamprimum facti sunt. Utque aperte discerni inter se possent opus DEI & opus dæmonis, decebat primo instanti Angelos à malo impediri.

# THESIS XXII.

## Gratia, peccatum, & pœna Angelorum.

**O**Mnes Angeli aliquando gratiam sibi à DEO infusam habuerunt, verèque sancti ac justifuerunt: cum qua acceperunt habitum charitatis omnesque alias virtutes per se infusas, necessarias viatori ad eliciendos actus supernaturales quibus ad suam beatitudinem dirigatur. Etiam rebellibus Angelis data est ante peccatum, qui naturali retentâ dignitate *non servaverunt suum principatum sed dereliquerunt suum domicilium* Epist: Judæ v. 6. Mox primo instanti creationis collata fuit, quo omnes elevati & ordinati erant ad finem supernaturalem, neque adfuit impedimentum gratiæ pro primo instanti. Itaque DEUS Angelos *creavit simul in eis & condens naturam, & largiens gratiam* S. Aug. 12. civ. c. 9. Prima gratia actualis data est sinè cooperatione propria, & nullâ præmissâ dispositione: ad habitualemente disposuerunt per meritum de congruo, *simulque ut facti sunt ei à quo facti sunt amore cum quo facti sunt adhæserunt* S. Aug. cap. cit. Quæ tamen dispositio supponebat speciale auxilium DEI, ad actus salutaris tum excitantis tum adjuvantis, sine quo nullum supernaturale meritum exerceri potest. Et DEUS *dividens singulis prout vult* I. Cor: 12. v. 11. Actuales gratias dedit inæquales cum proportionem ad naturam, quam tanquam mensuram arbitrariam assumpsit: *neque enim cœlorum virtutes suapte naturâ sanctæ sunt - sed juxta proportionem quâ se invicem superant, à spiritu habent remoram sanctificationis mensuram* S. Basil: de Spiri-

de Spir. San. ad Amphilocho, c. 16. *Gloriam primo instanti de condigno meruerunt omnes, secundo instanti boni perseverarunt & defecerunt mali, tertio instanti præmium vel pœnam consecuti sunt. Cum verò causa miseriæ malorum Angelorum quaeritur, ea meritò occurrit quòd ab illo qui summè est averti, ad seipsos conversi sunt qui non summè sunt: & hoc vitium quid aliud quàm superbia nuncupatur?* S. Aug: 12. civ. c. 6. *Est autem manifestum, quod propter superbiam suam abjectus est diabolus* S. Athan. q. 10. ad Antioch. *Quid hanc superbiam insanius? non esset è cælo ejectus neque in diabolum versus cecidisset Angelus, nisi hoc se scelere coinquinasset* & c. S. Chrysost. Hom. 15. Joan. *Quod primum peccatum erat & quasi fundamentum reliquorum: quoniam initium omnis peccati est superbia* Eccli 10. v. 15. *Peccarunt autem quòd sui amore inordinato abrepti plus æquo amarent naturalem suam excellentiam, & per hoc appetere sibi æqualitatem moralem cum DEO: elevatum est cor tuum (in decore tuo v. 17.) & dixisti DEUS ego sum, & in cathedra DEI sedi* Ezech: 28 v. 2. *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo* Is. 14 v. 14. *Ex eo peccavit dæmon, quòd sibi proportionaliter sufficere vellet ad suam beatitudinem naturali excellentiâ suâ, & inde beatitudinem supernaturalem saltè interpretativè contemneret. Relicto eo qui verè illi sufficere poterat, se sibi sufficere posse judicavit* S. Greg. 34. Moral. c. 14. *Et quia præceptum speciale habebant, ut suam beatitudinem naturalem appetere tanquam fini supernaturali subordinatam: signum est cuius Angelo fuisse liberum ut eam amaret ob præfixum finem, vel supra mensuram Angelis præscriptam. Unde in primo instanti habuerunt amorem castum, quòd suam beatitudinem naturalem appetere cum dicta*

sub.

subordinatione : tandem qui eam habere voluerunt  
 ut non subordinatam, peccarunt. *DEUS Angelis  
 peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detra-  
 ctos in tartarum tradidit cruciandos* 2. Petri 2. v. 4.  
 ubi habebunt pœnam tum damni tum sensûs. Hæc  
 pœna ideo vocatur pœna sensûs, quod fiat median-  
 te instrumento corporali, sive ab igne corporeo per  
 veram actionem physicam spiritualem quandam qua-  
 litatem doloriferam in dæmonibus producente. De  
 quo anima separata divitis : *crucior in hac flamma*  
 Lucae 16. v. 24. neque ideo potestatem exeundi peti-  
 it, sed tantum levamen supplicii orabat, quod distin-  
 ctam pœnam pateretur præter violentam ibi deten-  
 tionem. *Cur enim non dicamus quamvis miris, ta-  
 men veris modis etiam Spiritus incorporeos posse pœnâ  
 corporalis ignis affligi? - adhærebunt ergo - Spiritus  
 dæmones licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi*  
 S. Aug. 21. civ. c. 10.

## THESIS XXIII.

### *Beatitudo nostra.*

**H**OMO paulò minoratus ab Angelis pro ulti-  
 mo fine suo bonorum omnium abyssum DE-  
 UM habet; qui solus veritate ac bonitate sua  
 appetitum humanum satiare possit: ut tandem quies-  
 scat ultimatè, suamque in DEO beatitudinem obje-  
 ctivam possideat nihil jam ultrà appetendo si asse-  
 quatur DEUM. *Ut vita carnis anima est, ita beata  
 vita hominis DEUS est; de quo dicunt sacra litera  
 Hebræorum, beatus populus cujus est Dominus DEUS  
 ipse* S. Aug. 19. civ. c. 26. Bona creata nec seorsim  
 sumta, nec simul aggregata aut collectivè sumta, sunt  
 finis hominis simpliciter ultimus quo totus appeti-  
 tus

tus expleri adæquatè possit nè ultrà feratur; sed *bonorum summa DEUS nobis est - nec infrà remanendum nobis est, nec ultrà quærendum* S. Aug. de morib. Eccl. c. 8. Actualis possessio beatitudinis objectivæ, est beatitudo formalis : & formalis quidem metaphysica, prout est primum constitutivum ac distinctivum Beati à non Beato, omniumque radix quæ ad statum Beatorum complendum spectant, est sola visio DEI. *Dico ergo quòd quantum ad id, quod est essentialiter ipsa beatitudo* metaphysica ut primam radicem agat, *impossibile est quòd consistat in actu voluntatis* S. Th. 1. 2. q. 3. a. 4. ○ Si tamen sumatur beatitudo formalis in statu physico, est visio simul & amor : eoque sensu *perfectio charitatis est essentialis beatitudini quantum ad dilectionem DEI* q. 4. a. 8. ad 3. ut quoad essentiam physicam totum includat in conceptu suo, quod in re beatitudinem formalem constituit. Pro qua PP. interdum visionem, sæpe actum voluntatis assignant. Neque perfecta beatitudo haberi potest aut sinè intentionali possessione veri, quâ totus intellectus Beati satiatur quoad appetitum innatum : aut sinè affectiva possessione boni, vi cujus expleatur tota capacitas voluntatis quoad appetitum elicatum ; *si enim adhuc absentes inchoat fides & desiderium, presentes profectò consummat intellectus & amor* S. Bern. ep. 18. Qui amor supponens visionem, supponit quidem jam DEUM possideri sub ratione veri : est tamen partialis possessio affectiva DEI per actum voluntatis sub ratione boni, ut actu utriusque potentiaè infinitum verum ac bonum totaliter Beatus possideat. Quisque Beatus ad amandum DEUM necessitatur quoad exercitium necessitate intrinseca ; quibus ex parte objecti beatifici apparet bonum, quod omnem voluntatem vi bonitatis suæ ad actum amoris efficaciter movere possit



possit : ex parte intellectûs judicatur summum hoc bonum præferendum cuicunque limitato bono, tanta claritate judicij ut neque voluntas avocare Beatos possit à tali judicio per imperium suum aut illud impedire. Beati ratione statûs sunt omnes impeccabiles ab intrinseco, partim per actum amoris necessario amantis DEUM qui omnem affectum inordinatum excludat : partim per claram visionem DEI, qui sicut efficaciter voluntatem determinat ad DEUM amore appetiativo amandum, non minùs efficaciter voluntatem determinat ad malum peccati fugiendum, ut hac ratione voluntas in statu beatifico reddatur impeccabilis. Dum autem formalis beatitudo conjungit cum fine ultimo : obtentâ illâ habetur terminus quem motu bonorum operum ac meriti adultus quærit in via, ut nullus Beatus ultra hunc finem ultimum moveri possit sibique alium pro actu vitioso statuere. Nullus præterea creaturam DEO præferre per peccatum potest : & quia peccato adjungitur reatus pœnæ, repugnat ut Beatus summè sit felix ac miser. Æterna beatitudo Sanctorum erit, ut eam credamus ex natura sua fore incorruptibilem ac perpetuam : quando ex parte intellectûs *semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est* Matt. 18. v. 10. ex parte voluntatis *gaudium vestrum nemo tollet à vobis* Joan. 16. v. 22. Cujus amissibilitas adferret tanto majorem miseriam, quò bonum amittendum majus est. *Nulla modo igitur esse poterit vita veraciter beata, nisi fuerit sempiterna* S. Aug. 13. Trin. c. 8. Verum est posse in via amitti gratiam prout est radix remota gloriæ, repugnat tamen in cœlo destrui radicem proximam ut homo Beatus per peccatum perdat gratiam inamissibilem Patriæ ; ad cujus mensuram dabitur æternum lumen, nec minùs æterna erit visio correspondens lumini,  
& amor

& amor correspondens visioni. Demum ut homo perfectè sit Beatus, opus est cum assecurari de hac perpetua duratione beatitudinis; quam nisi Beatus cognosceret æternam fore, timeret nè tollatur sibi à DEO, nec omnem miseriam beatitudo excluderet cui esset annexus timor. Quæ tamen cognitio perpetuitatis requiritur tantùm ex parte subjecti, adeóque velut quoddam complementum illius statûs: & quia supponit beatitudinem formalem, simul ad illam præsupponitur objectum beatificum.

## THESIS XXIV.

### *Actus humanus indifferens.*

**Q**uando homo adultus operatur humano modo, ad certum finem ordinare hanc actionem debet. Si bonum honestum actioni præfigat, est actus moraliter bonus: si bonum delectabile, est moraliter malus; quòd modum agendi eligat communem sibi cum brutis, & finem proprium naturæ prout humanæ deserat. Quo sensu damnata est ab Innoc. Papa XI. hæc propositio. *inter 65. comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modò non obsit valetudini; quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.* In quantum insuper deliberatè operans ex recta ratione operari debet: si actum prudenti dictamini conformem ponat est actus honestus, dum in objectum contra dictamen rationis adultus tendit est actus voluntatis inhonestus. Unde qui actum propriè humanum elicit, semper aut bene aut malè operatur: ut ex hac ratione nullus sit actus indifferens in individuo. *Aut facite arborem bonam & fructum ejus bonum, aut facite arborem malam & fructum ejus malum* Matt. 12, v. 33. Potest quidem assignari

actus medius inter hos duos, qui tamen nullius bonitatis moralis capax sit neque malitiæ moralis (qualis est omnis actio indeliberata hominis, si tantum inadvertenter & non consideratè fiat) sed actus propriè humanus, positus cum plena deliberatione: nisi sit bonus moraliter, est moraliter malus. Vicissim dum ab objecto actus speciem moralitatis accipit, & quidam eorum in objectum tendunt neque à DEO præceptum adeoque fundans bonitatem moralem, neque à DEO prohibitum adeoque moraliter malum, sed tantum objectum indifferens ac in se hominibus permissum; nullam desumunt bonitatem moralem, neque moralem malitiam penes objectum primum ut sumtum ratione sui, seu prout unice respiciunt finem intrinsecum operis: ut actus humanus ex objecto suo & quoad specificam rationem æquè censeatur indifferens. Rursus damnata est in Conc. Constantiensi Oecum. XVI. hæc 16. propositio Joannis Hus: *divisio immediatè humanorum operum est, quòd sint vel virtuosa vel vitiosa* &c. Sess. 15. Semper quidem voluntas in objectum bonum fertur, quod saltè physicam bonitatem habeat: licet non omne objectum quod voluntas tangit sit bonum, honestum, bonitatem moralem fundans in actu. Etiam si autem non omne objectum ratione sui ordinetur tendatque ad finem ultimum consequendum: sufficit ut saltè ordinari possit ex fine extrinseco & circumstantiis suis, ex quibus honestari aut vitiari potest; dum actus attingens ejusmodi objectum semper est quoad individuum bonus aut malus, ex fine operantis bono aut malo. Sic homo secundum quidditatem naturæ in suo conceptu specifico acceptus neque est albus neque niger, cum tamen quodlibet individuum hominis semper sit album vel nigrum. Hi actus indifferentes quoad speciem possunt in nobis generare

generare habitum non minùs indifferentem, seu qui facilitando potentiam modò in actus virtuosos inclinet aliquando in vitiosos. Unde *non omnis habitus voluntatis vel appetitùs, qui ex differentia sua essentiali non est virtus, hoc ipso vitium est; sed potest esse habitus specie sua indifferens* Eximius Doctor noscer Suar. Disp. 4. de vitiis sect. 1. n. 5. Ut quia motivo indifferenti adjungi potest pro actu humano jam motivum bonum jam malum, etiam motivum habitùs per actus indifferentes producti inveniatur in actu vel bono vel malo. Sic quando habitum ludendi aliquis sibi induxit ex amore lusùs: promptum se sentit ad lusum seu lusus prohibeatur fiatque vitiosus, seu ad recreandum infirmum imperetur & ex obedientia aut charitate jam virtuosus fiat. Ut autem habitus proportionetur actui, satis est eos convenire ac proportionem dari quoad rationem specificam; consequenter quia ab actu præcisè participat modum specificum tendendi, & non moralem malitiam neque bonitatem quæ ab extrinseco inducta sunt: potest facilitare potentiam indifferenter ad producendum actum vel bonum vel malum, etiam si nullus sit actus indifferens in individuo qui ad generandum habitum concurrerunt. Sicut dum plures assensus opinativi habitum opinativum producant, nullus ex ijs indifferens est in individuo sive nec verus nec falsus, sed quisque determinatè tantùm est verus vel falsus: & tamen producant habitum qui de se influat eodem modo in actum jam verum jam falsum. *Habituum operativorum aliqui sunt semper ad malum, sicut habitus vitiosi: aliqui verò quandoque ad bonum & quandoque ad malum, sicut opinio se habet ad verum & falsum: virtus autem est habitus semper se habens ad bonum* S. Th. 1, 2. q. 55. 2. 4. ☉.

# THESIS XXV.

## *Virtus & Vitium.*

**V**irtus ad mentem S. Aug. 2. de lib. arb. c. 18. & 19. communiter definitur: *bona mentis qualitas quâ rectè vivitur, quâ nemo malè utitur.* Possunt quidem virtutes agere objectum mali usûs, non tamen principium ut coinfluant facilitando potentiam ad actus vitiosos: quòd vitiosus actus non sit in motivo similis actibus per quos habitus virtutis productus est, ut ideo sit *habitus semper se habens ad bonum* seu tantùm honesti operativus. DEUS in actu vitioso invenit rationem entis producibilis, ut, qui est essentialiter bonus, in actum vitiosum influere cum defectibili voluntate possit; sed virtus intendens honestatem, motivum suum non habet in actu vitioso. *Virtus moralis in medio consistit* S. Th. 1. 2. q. 64. a. 1. ☉. ut per conformitatem actûs cum recta ratione, medium rationis semper servet; & nunquam discordet per excessum amplius præstando quàm permittat recta ratio, neque minus præstando deficiat. Quod medium rationis taxatum est à prudentia, & variabile pro diversitate aut personarum aut circumstantiarum. Ea de causa virtutes morales ad se quæ versantur circa moderandas passiones proprias appetitûs sensitivi, servant tantùm medium rationis: cùm non omnibus subjectis unum idemque medium taxatum sit ex natura rei. Quæ sunt ad alterum: debent non tantùm conformari dictamini operantis, & per hoc regulari prudentiâ (quod ad genericam rationem spectat) sed ex conceptu specifico virtutis præter medium rationis debent procurare medium rei, adæquando rem cum re. Sicut exercens iustitiam adæquat jus passivum cum activo, tantum per-

sol-

solvendo quantum titulo justitiæ debuit. si minus reddiderit, est in justitia: dando plus, tali excessu neque injustitiam nec justitiam facit, sed actum liberalitatis aut prodigalitat. Unde non omnis habitus virtutis medius est inter extrema vitiosa, dum hæc violatur injusto actu per solum defectum. Qui plus per excessum daret ex sua prodigalitate, adhuc cum tali excessu justitiam exercet dando quod suum est: neque opposita est prodigalitas aut justitiæ aut injustitiæ. Nisi quis inter extrema vitiosa eam ponat ratione objecti, aut summum causaliter: dum justitia facit ne unquam objectum solutionis spectando plus petat creditor, & debitor minus det. Quoad conceptum genericum virtutis sumpta, & prout medium rationis actum illi conformando respicit, est inter extrema vitiosa: negamus tamen id posse convenire justitiæ quoad specificam rationem sumptæ, & prout respicit medium rei. Nulla virtus moralis sine prudentia haberi potest; quod nulla acquiratur aut operetur nisi per actus honestos, qui servare debent medium rationis & per hoc conformari regulæ quam cuivis præscribit prudentia. Neque prudentia perfecta, semper ac promptè facilitans ad dictamina sua, in statu perfecto moraliter haberi potest, si nondum moderatæ sint passiones idque per actus honestos aliarum virtutum: ut sine consortio earum communiter esse non possit. Virtutes etiam morales quando ad statum alicujus pertinent, nunquam sine reliquis obtineri possunt in statu perfecto, ac proinde omnes in statu perfecto moraliter connecti debent; ut quia materia unius sæpe attingit materiam, circa quam actus virtutum aliarum versantur: nulla ex ijs moraliter perfectè faciliet promptè ac semper, priusquam difficultas tollatur per actum virtutis alterius cujus materiam subinde tangit, sed ambas moraliter ha-

beri oporteat. Quas tamen negamus essentialiter con-  
nexas esse, dum homo acquirere absolutè unam potest  
finè aliarum consortio, ut actus unius frequentando ac-  
quirat solam. Sic potest sæpius elicere recta dictami-  
na practica, sed quibus voluntas positivè propter su-  
am libertatem resistat, vel actum eliciat virtuti con-  
trarium; nullum hoc casu virtutis habitum acquireret  
sive ex parte voluntatis seu in appetitu suo, & ta-  
men habitum prudentiæ recta dictamina generant.  
Et potest haberi prudentia perfecta tantum in uno  
genere, consequenter prout paupertatem dirigit,  
non prodest liberali ut ex hoc connectantur. Imò  
qui prius omnium virtutum habitus in statu perfe-  
cto habuisset, actus malos exercere deinde potest  
ut sibi habitum acquirat tantum unius vitij; quo ca-  
su conservans reliquos unum tantum habitum vir-  
tutis perdet. Cùm verò habitus vitiosus unicè ad  
malum inclinaret ex natura sua, ut nulli subjecto cen-  
seatur esse bonus: absolutè repugnat à DEO infi-  
nitè bono hunc nobis habitum infundi. Neque DE-  
US producit aliquid cuius non habet ideam, & ide-  
am mali non habet. Peccatum insuper ab hoc ha-  
bitu procedens multò magis refundi posset in DEUM,  
quàm si peccatum consuleret. Et est causaliter mo-  
rale malum, prout inclinatur intrinsecè ad actum pec-  
cati ex natura sua. Quòd DEUS victoriam secu-  
turam prævideat, non inde probatur vitium infundi  
posse: aut DEUS peccatum consilio suo similiter  
suadere posset. Et quamvis maneat voluntas  
libera, adhuc est causa peccati qui peccatum  
suadet: ut multo ampliùs peccati auctor DEUS esset  
in fuso habitu, qui tantum inclinaret ad vitiosos ac-  
tus. Sed malum physicum non ordinat DEUS ad  
malum morale ex natura sua, quæ saltem respectu  
alicujus objecti bona sunt. Valde intensa cognitio  
ob-

objecti mali, est magna perfectio & intrinsecè bona: non minùs appetitus hominis sensitivus bonus est tanquam proprietas animali conveniens, neque ad malum morale ex natura sua à DEO ordinatur.

## THESIS XXVI.

### *Peccatum actuale & habituale.*

**P***eccatum est factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra eternam legem S. Aug. 22. cont. Faust. c. 27. Cujus malitia formalis desumitur penes prædicatum aut negativum aut privativum; quid est autem aliud quod malum dicitur, nisi privatio boni? Enchir. c. II. seu quoad formalem rationem acceptum malum in quantum hujusmodi privatio est S. Th. 1. 2. q. 72. a. 9. ad 1. Datur in actu vitalitas, libertas, tendentia in suum objectum quod peccator tangit: ut multas rationes formaliter ac intrinsecè positivas dicat, in quibus conveniunt actus tam bonus quàm malus. Sed quia diversas bonitates actus vitiosus excludit, dantur in illo prædicata etiam negativa: utque sic sumta malitiam peccati constituunt. Verum est omne peccatum ratione substrati sui quàm talis, entitatem aliquam positivam esse; si tamen sumatur formaliter quoad malitiam moralem, forma quæ illud constituit est privatio boni cum actu identificata. Propter quam causam eadem indivisibilis entitas, si eam sumamus absolute respectu sui, est actus positivus: prout ad formam exclusam comparatur, habemus simul in actu prædicatum aliquod negativum. Dùmque lex actum prohibet, violatur non quòd positivum aliquid hic actus includat ratione substrati, sed propter privationem quam identificatam habet. Sic quando aliquis obumbrantem sibi suam stationem amovet, non*



negat stationem ut positivè sumtam (cùm eam faveat ubique alibi) sed quia negativa & exclusiva lucis est. Neque positiva tendentia inhonesti actus est prior privatione, sed hanc identificatam habet. Si tamen utramque rationem actu imperfecto præscindam, & priùs tendentiam positivam concipiam in actu inhonesto: tantùm est mala radicaliter, sed formalissimè mala est propter prædicatum honesti exclusivum. In qua communi ratione fatemur quidem peccata convenire, sicque honestatem excludi ut nullum habeat rectitudinem debitam, ac inde dicantur æqualia quoad substantiam exclusæ hujus rectitudinis; habetur tamen multorum inæqualitas quoad circumstantiam exclusæ rectitudinis, aut modum excludendi. Quod provenire potest à lege peccatorem graviùs aut leviùs obligante, aut si cum majori deliberatione peccatum fiat, vel unum directè ac per se excludat magis rectitudinem virtutis oppositæ: ut illâ exclusâ, privatio eodem modo in uno gravior sit quàm in altero. Ea rectitudo debita est proximè voluntati; quamvis etiam debeatur actui non quoad entitatem physicam prout sumitur ratione sui, sed magis debetur ratione subjecti & quasi conditionatè: quia ut esset humanus & subjecto suo moraliter conveniens, opus erat adjungi bonitatem moralem, dum tale subjectum obligatur volens operari humano modo nè ponat actionem difformem rationi. Homo post actum peccati præteritum adhuc moraliter peccator manet per suum peccatum habituale. Peccatum autem non tantùm dicitur habituale ideo, quòd actus aliquando extiterit & jam sit præteritus; alioqui S. Petrus, cujus peccatum extitit nec jam est physicè, Beatus esset in cælo simulque habitualiter peccator. Neque habitus vitiosus pertinet ad illud constituendum; qui in justificatis

manent, seu postquam peccatum habituale sublātum est. Possunt etiam peccatores extra Sacramentum atteri de suo peccato, quin hoc remittat DEUS: ut adhuc perseveret moraliter postquam supponitur retractatum, neque hunc statum carentia retractationis constituat. Nullum peccatum habituale consistit in privatione gratiæ; cujus privationis causa est DEUS, qui tamen nullius peccati causa est. Homo etiam durante primo peccato sæpius in novum peccatum habituale incurrit, absque nova privatione gratiæ: ut plura peccata habitualia haberi possint, quin tamen multiplicatæ sint privationes. Imò justificatio non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio Trid. Sess. 6. cap. 7. ut sicut remissio peccati distinguitur à sanctificatione & infusione gratiæ, sic quoque peccatum distinguitur à privatione gratiæ. *Aliam mutationem significat justificatio, scilicet justitiæ generationem: & aliam peccatorum remissio, scilicet corruptionem culpæ. Sic autem justificatio & remissio peccatorum non erunt idem, nisi per concomitantiam* S. Th. q. 28. de verit. a 1. ☉. Dum homo privatur gratiâ, injustus quidem est voce injusti denotando qui non est positivè amicus DEI, aut nondum elevatus ad supernaturalem statum; non tamen ideo privatio gratiæ facit injustum, si injustum esse sit esse peccatorem. Nulla scilicet privatio gratiæ est dictum, aut factum, aut concupitum contra legem DEI, ut inde rationem peccati habeat. Neque passiva privatio gratiæ est macula offensiva DEI, sed pœna peccati habitualis; ex quo jam constituto inducta demum est. Sicut si stigma inuratur reo, est gravis macula; sed non ideo simul est culpa inductiva stigmatis, quâ se jam antea maculavit reus. Ut ergo peccator formaliter reddatur malus, quâ talem privatio activa denominat non verò pœnalis; aut.

per.

per hanc perinde sola malitia pœnalis invehitur, non tamen offensiva DEI. Nos omne peccatum habituale tenemus idem in recto importare cum actuali, utque sint unum peccatum in diverso statu & quoad diversam existentiam peccati: unam physicam, moralem alteram. Quâ tale perseverat moraliter in carentia condonationis, & condignæ satisfactionis; quibus manentibus censetur habitualiter quis esse peccator, & ablatis ijs non manet peccator.

## T H E S I S XXVII.

### *Efficacia gratiæ.*

**A**ctualis gratia, quâ ad meritum salutare partim DEUS illustrat intellectum, partim voluntatem invitat: quædam est purè sufficiens ac inefficax, atque ut talis principium operationis meritoria complet quidem, non tamen effectum infallibiliter annexum habet. Alia est efficax, neque dans tantum sufficiens ad operandum vires, sed nostrum consensum meritorium sibi infallibiliter annexum habens. Quæ nisi necessitatem invehat antecedentem, nulla datur physicè prædeterminans aut in se intrinsecè efficax; sed cuius vocationi homo dissentire pro libertate potest si velit. *Consentire vel dissentire propriae voluntatis est* S. Aug. de spir. & lit. c. 34. Dum eâ collatâ voluntatem prævenit DEUS, jam homo præparari ad justificationem potest, *eidem gratiæ libere assentiendo & cooperando - quippe qui illam & abjicere potest* Trid. Sess. 6. cap. 5. Quod tandem vibrato anathemate condemnat eos, *si quis dixerit liberum hominis arbitrium à DEO motum & excitatum nihil cooperari assentiendo DEO excitanti atque vocanti - neque posse dissentire si velit* can.

can. 4. ubi non tantum explicat sufficientem gratiam, sed verè efficacem cum qua operamur; licet huic quoque resistere voluntas potuerit pro sua libertate. Frustrà certè Stephanus Judæos duræ cervicis & incircumcisi cordis argueret, qui semper Spiritui Sancto resisterent - si Divinis inspirationibus homines inevitabiliter raperentur. Trahit quidem DEUS, sed in ejus odorem currimus: non vi, non unco raptamur Conc. Senon, tempore Clem. Papæ VII. Decr. 15. Damnârunt quoque Innoc. Papa X. & Alex. Papa VII. hanc quartam propositionem Jansenij: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.* Verum est causas secundas liberas moveri semper à DEO etiam motione prævia, sed tantum indifferenti cui reluctari possent: non autem motione prævia efficaci, quali à DEO moveri voluntatem Thomistæ putant. Vel causa libera movetur præviè, in quantum virtutem libere agendi habet à DEO collatam. Qui proinde facit ut causa secunda faciat; in quantum creaturis virtutem operandi dedit, quas suo concursu ad agendum juvat quin novam imprimat qualitatem physicam. Neque à nobis determinatur DEUS ut velit nobiscum concurrere, sed supposito decreto illo vi cujus voluerit nobiscum concurrere per suum concursum indifferentem, voluntas nostra hunc DEI concursum determinat eumque tantum ad unum extremum libertatis acceptat. Hoc autem præsupponit liberam voluntatem DEI, quin ejus concursum actio nostra libera præcedat licet sit prior electivè. Sicut dum ago adhibendo habitum voluntatis: tali casu eligit voluntas mea concursum habitus, non tamen illius actionem præcedit cum sit.

fit eadem utriusque actio. Juxta nos nihil aliud est gratia efficax, quam entitas auxilii prout connotans futuritionem operationis liberæ: ut præter entitatem auxilij de se conjungibilis cum consensu vel dissentiu, in obliquo dicat consensum conditionatè futurum & prævisum per Scientiam Mediam. Sicut consilium de se indifferens ut effectum obtineat, & non necessitans audientem ad obediendum: non tantum est svadens, sed efficax & persuadens à consensu audientis consilium. Et sicut consilium svadentis bonum non est indifferens ad svadendum malum, sed tantum indifferens ut obtineat vel non obtineat effectum: auxilium & vocatio Divina æquè tantum indifferens est contradictoriè non contrariè, sive ut suum effectum non habere possit si homo auxilio Divino dissentiat pro sua libertate aut consentire nolit. Hinc illud: *exhortamur nè in vacuum gratiam DEI recipiatis* 2. Cor. 6. v. 1. inanis autem fuisset exhortatio, si datur gratia infrustrabilis sive intrinsicè efficax. Si ergo voluntas auxilij gratiæ indifferentis in entitate sua consentire nolit, auxilia illa sunt purè sufficientia: si consentiat, dicuntur efficacia. Et tota distinctio utriusque auxilij (efficacis ab inefficaci) est connotativa tantum & purè extrinseca, non autem distinctio eorum intrinseca quoad entitatem gratiæ in recto importatam. Quam pro statu conditionato vocamus efficacem tantum in actu secundo, seu non pro priori ante consensum sed per consensum conditionatè prævisum. In absoluto autem statu ratione consensûs conditionati ut comparati ad absolutum, efficax est in actu primo: & simul ratione consensûs absoluti certò futuri efficacem vocamus in actu secundo. Licet autem nos non possimus facere, ut gratiam efficacem DEUS voluntati conferat; si tamen voluntati auxilium conferatur

feratur, suo consensu potest reddere auxilium efficax. Cur unus vocationem Divinam efficacem reddat non alter, ratio est quia unus vult alter non vult; dum ambo congruitatem Divinæ vocationis, saltè in sensu diviso vocationis incongruæ, in sua potestate habent: ut sua libera cooperatione reddere possent efficacem hanc vocationem sui, modò incongruitatem gratiæ impedire vellent ut possunt.

## THESIS XXVIII.

*Justificatio tantùm dispositiva per contritionem & dilectionem DEI.*

**S**I quis dixerit homines justificari vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione (exclusâ gratiâ & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur atque illis inhereat) aut etiam gratiam quâ justificamur, esse tantùm favorem DEI; anathema sit Trid. Sess. 6. can. II. Unde per formam intrinsicam justificamur formaliter ac nobis in hærentem, per quam nos adoptarit DEUS: ut amor benevolentiæ, quo amicabiliter justus à DEO amatur supernaturali amoris actu, in nobis terminum supernaturalem habeat. Christus per suam sanctitatem factus est nobis *justitia & sanctificatio* I. Cor. I. v. 30. non quidem formaliter, sed causaliter tantùm: ut adhuc in hærente physica sanctitate opus sit. Cujus *unica formalis causa est justitia DEI, non quâ ipse justus est, sed quâ nos justos facit* Trid. cap. 7. quod omnes tribuunt habituali gratiæ. Neque ab actu perfectæ contritionis aut à dilectione desumi potest hæc forma justificans: dum contritio tantùm ad veram peccati remissionem disponit, non autem formaliter peccatorem justificat. Qui  
actus

actus contritionis aut dilectionis DEI veniam peccatorum impetrant, non autem seipsos: consequenter nullus formam remissivam peccati agit, quam semper formalis justificatio habet infallibiliter conjunctam. Imò si posset formaliter peccatum remittere non verò dispositivè tantum: sic sumpta contritio subjectum disponderet ad actum perfectæ contritionis habendum, cum tamen subjecti dispositio intendat formam ab illa subjecti dispositione distinctam. *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius* Trid. Sess. 14. de Pœn. cap. 4. ut sensu Tridentini contritio peccatoris, prout ad veram peccati remissionem disponit & nullo adhibito Sacramento justificat, sit motus solius contritionis perfectæ. Dum semper fuisse necessariam declarat, sumi non potest de sola attritione aut contritione tantum imperfecta; qui imperfectus motus est quidem sufficiens peccatoris dispositio in usu Sacramenti, non disponebat tamen in lege Mosaica ut sufficeret nondum à Christo institutis Sacramentis mortuorum. Forma quoque justificans peccatori infunditur, cum actum perfectæ contritionis & dilectionis peccator ipse per suum arbitrium operando eliciat tanquam à causa formali justificativa distinctum. Nec minus parvuli justificantur, nullus tamen actum contritionis elicit: & multi adulti Sacramentum accedunt cum sola attritione, nihilominus justificandi; ut ex hoc arguamus nunquam in actum perfectæ contritionis refundi posse hanc formam, cum formam habeant eandem specie quotquot sunt just. Insuper justificatio impij à statu peccati peccatorem transferri facit ad statum gratiæ, constituens Filium DEI ut docet Trid. Sess. 6. cap. 4. quod quia convenit infusioni gratiæ, non potest convenire contritioni peccatoris. Quòd si con-

si contritio justificaret formaliter: quia ex parte pœnitentis antecedit estque jam ante gratiam, infusio gratiæ nunquam à statu peccati peccatorem transferret ad statum gratiæ constituendo Filium DEI: sed status peccati adæquatè sublatus esset antequam infunderetur gratia. Neque per actum transeuntem obtineri potest ut statum formaliter seipso constituat, cum status rationem permanentem dicat. *Qui facit justitiam justus est* 1. Joan. 3. v. 7. sed tantum justitiâ dispositivâ, & non sanctificante formaliter. Vel actum charitatis eliciens fiet justitia actuali justus, seu justè operans: consequenter posito hoc actu peccator conformatur Divinæ legi, non tamen redditur adoptivus Filius DEI per actum charitatis tanquam per formam. Cum tamen habitus charitatis semper consequatur gratiam, sæpe in sacra Scriptura charitati adscribi solet quod facit gratia: eodémque sensu PP. aliquando gratiam charitatem vocant. Dum homo contritus de peccato suo in DEUM amore appetitativo movetur, amor sic DEUM amantis peccatoris semper quidem præsupponit amorem DEI ut purè beneficum, sed non ut benevoluntis: quasi jam inde peccator formaliter amicus fiat, quod illi auxilia conferantur necessaria ad actum charitatis. Unde si tali auxilio peccatorem præveniat, à DEO amante conferetur Divinum donum: ut amor beneficus intercedat DEO tribuente auxilium ex solo amore misericordie, licet propter solam vocationem collatam nondum sit amor amicabilis mutæque benevolentis quo DEUS peccatorem amet. Quo casu contritio perfectaque dilectio donum est DEI liberalis peccatorem tantum ex sua misericordia adjuvantis gratuitò, non tamen obligatè redamantis. Loquor de illo priori naturæ signo, quo adhuc disponitur ad amicitiam DEI; si tamen sumatur non  
natu-



naturæ signum sed instans reale amantis DEUM, jam DEUS amore reciproco contritum amat pro illo instanti.

## THESES XXIX.

*Remissio peccati sine retractatione, aut per condonationem DEI pure extrinsecam.*

**O**Mne peccatum absolute remitti posset à DEO etiam infusâ post peccatum gratiâ, licet non prius retractetur nullusque intercedat actus pœnitentis. Qui pœnitentis actus ad formam peccati remissivam disponunt tantum, non autem formaliter ratione sui peccatorem justificant: & DEUS defectum dispositionis supplere potest, ut formam remissivam conferat sine actibus pœnitentis. Quod nunc expiari peccatum velit per actus pœnitentis, solum per illos obstacula removemus nosque pœnitendo disponimus ad formam peccati remissivam: quia nulli peccatori adulto DEUS defacto gratiam infundit, nisi sit volens. De lege ordinaria proinde *impossibile est peccatum actuale mortale sine pœnitentia remitti, loquendo de pœnitentia quæ est virtus* S Th. 3. p. q. 86. a. 2. ☉. non tamen negavit condonari peccatum posse in omni hypothesi absolute possibili, quando non adest actualis dispositio pœnitentis, quasi ad omnem condonationem hac dispositione opus sit. Quando matrimonium humanum contrahitur, semper in illo consensus utriusque sponsi acceptantis contractum est forma matrimonii: consequenter matrimonium nullum est, nisi habeatur consensus utriusque sponsi. at verò pœnitentia peccati præteriti ad plenam peccati remissionem disponit tantum, non autem formaliter. adul-

adultos justificat : ut forma per se peccati remissiva sine actu peccatoris infundi possit , & fiat desponsatio spiritualis metaphorica. Aut æquè infanti necessarius consensus erit dum actu baptizatur. Neque in omni hypothese actualis conversio ad DEUM præsupponi debet; sed quia peccatum habituale naturâ suâ est tantum averfio habitualis , modo habitualis conversio ad DEUM sequatur habituale peccatum tollet : in quantum peccatori gratia infundetur , quæ nullâ præmissâ dispositione infundi potest. Sic quamvis faciem actione propria à sole matutino averterem occidentem versus : non tantum propria actione denuo ad solem videndum facies converti potest , sed idem accidet actione propria solis ad meum conspectum redeuntis ut jam occumbentem spectare possim. Et quidem remissio peccati tribuitur DEO , qui malum morale voluntate nostrâ nihil concurrente auferre potest : at verò commissio peccati tribuitur nobis , ut nullum peccatum committatur sine voluntate peccantis. Hæc autem commissio peccati requiritur , ut actus virtutis perseverans tolli possit : consequenter virtutis actus jam semel elicitus manebit moraliter , neque in nobis cessabit actione solius DEI. Si verò peccatum destruat : peccator prius ad bonum illicitum conversus cessat esse conversus moraliter , licet quis nondum priorem voluntatem retractet. Sic voti obligatio , etiamsi dependeat à Petri voventis voluntate , Petro tamen nihil cogitante remitti potest à DEO. Tolliturque voluntarium prout moraliter perseverans , sive ut præsens secundum denominationem moralem : & solum verificabitur fuisse voluntarium. DEUS autem sine actuali concursu peccatoris potest destruere habituale voluntarium. Sicut si Cajus ingressum Religionis vovisset quem voti pœniteat , cessabit

voluntarium esse hoc votum secundum denominationem præsentem, & tamen obligatio durabit moraliter: ut æquè peccatum habituale durare possit, dum tamen non manet attrito voluntarium. Vicissim votum in Cajo desineret dispensante Pontifice licet id nunquam retractasset Cajo, seu quando habitualiter censeretur voluntarium. Defacto *remissio peccatorum nullo modo sine gratia gratum faciente esse potest* S. Th. q. 28. de verit. a. 2. ☉. & quia peccator justificatur in hac remissione peccati, de lege ordinaria *impossibile est per pœnitentiam unum peccatum sine alio remitti* 3. p. q. 86. a. 3. ☉. Quod tamen peccatori condonare potest per suam liberrimam condonationem extrinsecam, seu nihil infundendo peccatori. Sicut si DEUS remittat debitum contracti voti, fit absque reali mutatione voventis: ut nihil physicum voventi conferat, sed tantum priorem obligationem condonet. Et potest creditor condonare debitum, non tamen debitorem physicè immutando. Unde hìc sola mutatio moralis sufficeret, aut solum mutatione physicà mutaretur tempus. Sic nullus amplius obligatur veteri lege, quæ tamen aliquando obligabat omnes: & nullus ideo mutatur physicè. Sic pœna temporalis condonari potest aut tolli quodcumque aliud debitum, quin tamen immutari censeatur homo aut DEUS. Quodcumque peccatum condonaret, simul hoc ipso cessaret habituale aversum esse à DEO: redderetque non inimicum DEI, non tamen filium adoptivum faceret. Hoc autem amorem specialem supponit ut purè ablativum alicujus mali, quo DEUS sublato inimicitiae objectum tollat: non tamen positivè collativum boni, ad statum finemque supernaturalem spectantis. Et licet quamdiu conservat gratiam in justis, eosdem positivo amore amet cum adhuc terminum amoris

ha-

habeat: non tamen privatam gratiã tali casu odio  
habebit cum cui suum peccatum condonasset, ces-  
sante jam tunc termino Divini odij. Dum juxta Trad.  
Sess. 6. cap. 7. & can. 11. justificatio peccatoris ditin-  
guitur à nuda peccati remissione, supponit hæc duo  
absolutè separari posse. Quæ DEUS potuit con-  
donare nullam infundendo gratiam in pura natura,  
& defacto posset absolutam potentiam exercendo.

## THESIS XXX.

### *Objectum Fidei Divinæ.*

**O**bjectum materiale hujus fidei est omne ens à  
DEO revelatum, inter quæ de fide est legi-  
timè electum Pontificem esse Caput Ecclesiæ  
ac legitimum Petri Successorem: & in particulari  
credere obligamur Innocentium XII. nunc in Cathe-  
dra sedentem, esse legitimum Pontificem. Quo sensu  
Martinus Papa V. in fine Conc. Constant. damnans er-  
rores Wicleffi & Joannis Hus, interrogari jubet de ijs  
suspectum: *utrum credat quòd Papa canonicè electus  
qui pro tempore fuerit (ejus nomine proprio expresso)  
sit successor B. Petri habens supremam potestatem in  
Ecclesia DEI?* Certum de fide est omnem legitime  
electum & ab Ecclesia acceptatum Pontificem, esse Ca-  
put Ecclesiæ Vicarium Christi & Petri successorem:  
in qua universali formaliter continetur hæc particu-  
laris, Innocentius XII. &c. quem evidenter constat esse  
legitimè electum, & à tota Ecclesia acceptatum,  
Pontificem. *Tu es Petrus, & super hanc Petram æ-  
dificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non præva-  
lebunt adversus eam* Matth. 16. v. 18. De fide etiam  
est quidquid definit Innocentius in materia fidei, ut  
non minùs de fide sit hunc in particulari Pontificem  
esse

esse legitimum : cùm infallibiles sint definitiones Innocentii propter assistentiam Spiritus Sancti promissam legitimo Pontifici. Quòd si non teneremur credere esse legitimum Pontificem : neque esset de fide Spiritum Sanctum Innocentio assistere, consequenter nullus teneretur credere quæ definit Innocentius. Licet autem electio sit de se fallibilis, postquam tamen acceptatio accedit tanquam exercita DEI revelatio, jam omnem fallibilitatem tollit: dum nunquam errare potest Ecclesia in acceptanda regula fidei, quæ tamen acceptavit Innocentium XII. Objectum formale fidei in nulla humana ratione fundari potest : *ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute DEI*. Cor. 2. v. 5. Unde etiam Theologica dicitur, quòd pro motivo habeat aliquid Divinum. multa quoque excedunt rationem humanam, ut indè motivum fidei Divinæ summi non possit. Insuper si evidens sit ratio humana, nullus dissentire potest ut fidem liberam eliciat ac meritoriam : si tantùm ratione probabili moveatur, erit fallibilis; cùm tamen assensus fidei excludat omnem formidinem de opposito. Neque auctoritas Ecclesiæ in quantum humana est, motivum agit: cùm non sit infallibilis, si ab assistentia Spiritus Sancti præscindamus. Ipse Christus allegat auctoritatem Divinam, non suam propriam quæ Hominis: *qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me* Joann. 12. v. 44. Nempe fides Divina ex objecto suo firmiorem assensum petit omni assensu naturali, ut pro veritate fidei teneamur mortem oppetere; qualem firmitatem nunquam refundit auctoritas Ecclesiæ in quantum humana, sive non habens omnimodam certitudinem. *Ego verò Evangelio non crederem, nisi me* (tanquam regula fidei proponens, non ut objectum formale) *Catholica Ecclesia commoveret*

*veret auctoritas* S. Aug. cont. epist. fundam. c. 5. non movens immediatè ad assensum fidei, sed ad volendum credere per piam affectionem. Est tamen *Ecclesia DEI vivi columna & firmamentum veritatis* 1. Tim. 3. v. 15. dum eam accipimus cum assistentiâ Spiritûs Sancti, ut sit organum DEI loquentis totâque ratio assentiendi tandem devolvatur in auctoritatem DEI. Prædicatum Divinum pro hoc motivo assignari debet; cum verò Deitas & Veritas prima in essendo rationem communem dicat, non erit ratio specificativa fidei aut ejus distinctiva à spe & charitate: licèt virtutes Theologicas distinguat à virtutibus non Theologicis. Neque motivum adæquatum desumi potest à sola veritate in cognoscendo, aut à sola veritate in dicendo; quarum neutra scorsim sufficit ad fidem inducendam sinè formidine de opposito, sed ambæ indivisim motivum adæquatum simul constituunt quod est auctoritas DEI loquentis: ut sciatur DEUM non tantùm non falli per suam veritatem in cognoscendo per quam potentia errandi excluditur, & certò simul sciatur DEUM non posse fallere mentièdo. Positâ hâc solâ auctoritate securissimè assentiri possum, hâc solâ exclusâ credere assensu firmo non possum. Sed quia externa locutio Divina ità se habet respectu auctoritatis Divinæ, sicut se habet externa actio ad actum internum: potest ab illa participativè ac denominativè dici motivum fidei, sicut actus externus ab interno actu imperante habet denominationem actûs meritorij aut demeritorij, licèt denominationes illæ propriæ sint actûi tantùm interno. Quòd si passiva DEI locutio sumatur formaliter in sua præcisè ratione, neque partiale motivum agit ut verè intellectum moveat ratione sui ad firmum assensum; cum in se præcisè sumpta passiva locutio sit indifferens, ut unus

moveatur eadem locutione ad assensum debilem, alter ad firmum, tertius ad neutrum : prout externa locutio procedit à diversis auctoribus magnâ aut parvâ vel nullâ fide dignis, ut tota formalis ratio movendi sit ab auctoritate loquentis. Quia tamen externa locutio habet se tanquam conditio sine qua non moveret auctoritas Divina, sæpe locutioni tribuitur quod attribui debet auctoritati loquentis quin tamen respectu fidei motivum agat. Sicut cognitio est conditio sine qua finis non movet; non tamen cognitio bonitatis movet voluntatem formaliter, sed tantum bonitatem amabilem voluntati proponit. In quantum insuper loquela DEI est causa apprehensionum quæ antecedunt fidem, hoc sensu dispositivè movet non verò formaliter. *Jam non propter tuam loquelam credimus, ipsi enim audivimus & scimus quia hic est verè Salvator mundi* Joan. 4. v. 42. ut sicut visio operum Christi non est motivum fidei, sed tantum motivum piæ affectionis aut dispositio quædam ad fidem: sic neque externa DEI loquela sit motivum fidei, sed tantum motivum apprehensionum.

## THESIS XXXI.

### *Revelatio Divina.*

**R**evelatio privata sufficiens est ad fidem Theologicam, qualem in sacra Scriptura sæpius commendat DEUS dum quidam privata revelationi credebant. Et juxta Trid. *sciri non potest quos DEUS sibi elegerit* Sess. 6. cap. 12. nullique notum est magnum illud usque in finem perseverantiæ donum

num se certò habiturum - nisi hoc ex speciali revelatione didicerit can. 16. ut clarè supponat revelationem privatam & esse possibilem, & sufficere nobis ad verum assensum fidei præstandum propter auctoritatem DEI; quæ eadem est in publica & in privata revelatione, modò signa credibilitatis ostendant verè à DEO fuisse factam. Si tantùm privatæ alicui personæ revelatio Divina fiat, hæc quidem obligatur ad exhibendam fidem, non tamen ideo totam Ecclesiam obligat: ut propter privatam revelationem haberi possit fides Theologica, non Catholica. *Innititur enim fides nostra Catholica revelationi Apostolorum & Prophetis factæ* S. Th. 1. p. q. 1. a. 8. ad 2. licet ad purè Theologicam fidem revelatio privata sufficiat. Sic nullum objectum credibile Adamo propositum, est per Ecclesiam, quamvis Adamo datus sit idem, fidei Theologicæ habitus quem modò fideles habent. Propositio Theologica, si ex duabus revelatis deducta sit, habet objectum pariter à DEO revelatum; quod cum revelato objecto præmissarum idem est. Nullus quidem assensus fidei verè talis nititur discursu, actus tamen qui est objectum fidei discursu niti potest: in quantum discursus Theologicus declarat tanquam conditio applicans, hic & nunc objectum conclusionis latere in actu revelato. Unde in quantum deducta est per discursum talis conclusio, assensum habet solius scientiæ: quæ autem deducta est per discursum, spectat ad fidem ejusque materiale objectum agit. Conclusio quæ deducitur tantùm ex una præmissa revelata & ex altera naturaliter certa, dum in revelata formaliter & objectivè latet vel tanquam pars in toto vel tanquam particularis in universali: simul cum illa revelatur formaliter implicite, & ex præmissa naturali certò constat de tali revelatione DEI. Sic DEUS revelavit.



lavit Christum esse Hominem, naturaliter autem constat omnem hominem adeoque etiam Christum habere corpus unitum animæ, objectivè insuper esse animal rationale: ut hac ratione etiam hæc duo supponantur formaliter implicite revelata. Quando virtualiter & radicaliter tantum continetur conclusio in præmissa revelata, censemus eam non esse de fide. Sic quia essentia alicujus rei saltem objective distinguitur à sua proprietate: potest à DEO revelari essentia consequenter esse de fide, quin tamen revelet proprietatem distinctam à tali essentia aut credibilem reddat per fidem. Quæ licet connectantur inter se: nondum sufficiens fundamentum præstat naturalis connexio, ut certò sciamus revelationem extendi ad ambas. Revelatio Divina essentialiter ita est vera, ut nunquam mentitus sit aut mentiri possit. *Non est DEUS quasi homo ut mentiatur, nec ut filius hominis ut mutetur* Num. 23. v. 19. quæ pari ratione potentiam mentiendi, sicut mutabilitatem negant in DEO. Multumque veritati primæ derogaret mentiri posse, dum nihil derogatur omnipotentia per hanc impotentiam mentiendi, nempe *si volunt invenire quod omnipotens non potest, habent prorsus, ego dicam: mentiri non potest* S. Aug. 22. civ. c. 25. Et quidem mendacium ab intrinseco malum est, inter naturas rationales omnem societatem evertens: ut nunquam honestari Deoque convenire possit. Excludimus capacitatem malitiæ à summa bonitate, nè quis veritati summæ in DEO potentiam falsitatis attribuat. Justè non minùs contemni quàm mentiri posset: & omnes comminationes aut promissiones DEI, quas potens mentiri faceret, respectu nostri vi sua carerent ac inanes forent. De quovis etiam articulo fidei hoc casu dubitari posset an non mentiatur DEUS: quo genere ad-

re admissio atque approbato omnis omnino fidei disciplina subvertitur S. Aug. de mendacio ad Consent: c. 8. Qui licet testatus sit se veracem esse, non omnino dubium hominibus tolleretur; sed adhuc timerent, ne in hoc reflexè DEUS volens fallere mentitus fuerit. Dum quædam promisit aut minatus nobis est suo nihilominus effectu carentia, non ea promisit absolute ut ex hoc arguamus mentitum esse. Cain necem timenti (postea illatam) DEUS dixit nequam seu non impune fiet. Sic quoque Ezechia mortem in causa prædixit, non secutam quoad se. Nullum perinde miraculum patrare potest pro falsa doctrina contestanda; quod dum exhiberet mentitur, sicut qui falso testimonio sigillum apprimeret. Hinc Christus patratis miraculis doctrinam suam & fidem suadebat, quod non fecisset Christus si posset fieri miraculum etiam pro falsa doctrina. Revelatione Divina opus est, neque sufficit existimata: aliàs per fidem, cui non potest subesse falsum Trid. Sess. 6. cap. 9. crederemus dari revelationem Divinam quæ non daretur; adeoque fides revocari prudenter posset, cum tamen damnata sit ab Innocentio XI. hæc 2. o propositio: *potest quis prudenter repudiare assensum quem habebat supernaturalem.* Credendo esse à DEO revelatum quod non est revelatum, possem influente habitu fidei assentiri falso; quæ tamen est virtus intellectualis, quibus verum & nunquam falsum dicimus 6. Eth. c. 3. sicut virtutes morales semper se habent ad bonum. Et quia virtutes intellectuales attendunt solam conformitatem actus cum suo objecto: si de objecto actus aliter affirmetquam se objectum habeat, non erit virtuosus. Actus virtutis appetitivæ vicissim debet conformari regulæ rationis: ut si quis dictamen conscientia sequatur, adhuc sit actus virtuosus, etiam quando error aliquis inter-

intercedit. sicut si daret aliquis eleemosynam homi-  
ni qui pauper videretur, etiamsi pauper non esset.  
Verum assensum fidei præstamus DEO loquenti : &  
si non loquatur DEUS non erit assensus fidei Divi-  
næ licet quis putet locutum fuisse DEUM, sed erit  
assensus fidei humanæ. Quod si idiotæ habeant ex-  
istimatam fidem, sunt tantum fideles affectivè pro-  
ut volunt adhærere objectis verè à DEO revelatis.  
Propter quam piam affectionem aliquid promereri  
possunt, non tamen formaliter per putatitiam fidem.

## THESIS XXXII.

*Actus fidei stans cum scientia, & omni  
assensu naturali certior.*

**F**ides sperandarum substantia rerum, argumen-  
tum non apparentium Heb. II. v. I. tanquam as-  
sensus auctoritati loquentis tantum innixus, ob-  
scuritatem saltè negativam habere debet : ut non  
sit evidens assensus fidei, licet cum tali assensu con-  
comitanter componi possit nec petat obscuritatem,  
etiam positivam. Stat cum scientia abstractiva de at-  
testante, ut fides haberi de objecto possit quod con-  
stat evidenter revelatum esse à DEO, & simul scia-  
tur evidenter veracem esse. Sic quando Angelus  
existentiam DEI fide Theologica credidit, simul ha-  
bebat evidentem scientiam de attestante : neque  
alias obligatus fuisset ad fidem, nisi præviè per evi-  
dens iudicium credibilitatis scivisset DEUM sibi lo-  
qui, qui solus potuit obligare Angelum ad fidem ex-  
hibendam. Evidentia hæc de attestante refundit,  
evidentiam in attestata, seu in objecta revelata ; ut  
dum evidentes sunt præmissæ ex quibus objectum re-  
velatum deduci potest, refundant evidentiam in con-  
clusionem ejus objectum pariter sit evidens. Ob-  
jectum

jectum quidem illud non fit evidens immediatè aut intuitivè propter connexionem intrinsecam prædicati cum subjecto, & ex principijs objecto intrinsecis vel quoad rationes non revelatas; evidens tamen est mediatè & abstractivè ex revelatione extrinseca tanquam essentialiter vera, & connexa cum objecto: ut si evidens est DEUM revelâsse existentiam alicujus rei, cùm etiam sit evidens DEUM non posse falsum loqui, evidenter sequatur rem illam non tantùm revelatam esse à DEO sed verè existentem. Potest etiam objectum fidei simul per actus concomitantes sciri & credi; ut quando Angelus disponens se ad gratiam evidenter scivit DEUM esse, & tamen etiam existentiam DEI fide Theologica credidit: *sinè fide autem impossibile est placere DEO, credere enim oportet accedentem ad DEUM quia est & inquirentibus se remunerator* sit Heb. II, v. 6. quod de assensu fidei Divinæ Paulus intellexit ut Trid. docet Sess. 6. c. 6. cùm autem existentiam dividat ab esse remuneratoris, existentiam intellexit purè quâ talem. Et quia remuneratorem esse, aut esse auctorem gratiæ præsupponit existentiam simpliciter: jam ante conceptum remuneratoris oportet concipere existentiam DEI. Nec possum firmiori assensu judicare DEUM remuneratorem esse, quàm DEUM simpliciter esse: quòd esse simpliciter includatur necessariò in esse remuneratoris, cujus est quasi fundamentum. Verum est nunquam scientiam simul cum fide componi in eodem actu; nè idem assensus entitativè acceptus sit simul evidens & non evidens prout ad idem objectum terminatur, duasque simul & semel atomas differentias habeat. Si unum motivum assignetur, eodem modo. *impossibile est quòd de eodem sit fides & scientia* S. Th. 4. 14. de verit. a. 9. ☉. possunt tamen componi per di-

diversos actus, & ex motivis similiter diversis: consequenter simul & semel intellectus habebit cognitionem ex revelatione obscuram, & assensum evidentem ex ratione discursus naturalis. Sicut Christus propter scientiam visionis DEUM summam claritate intuitus, non summam claritate cognovit DEUM per suos conceptus abstractivos; nulla hinc tamen sequebatur contradictio, aut oppositio privativa. *Quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco* 2. Petri 1. v. 19. lux minor propria est fidei; neque hinc tamen respectu intellectus omnem claritatem excludit per modum tenebrarum. Sufficit claritatem omnem a solo assensu fidei exclusam esse, ut sola obscuritas negativa sufficiat. *Quid est enim fides, nisi credere quod non vides?* S. Aug. 40. Joan. ut nullum objectum visum aut scitum sit simul creditum eodem actu, aut ex eodem medio prout est visum aut scitum. *Nec fidei habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum* S. Greg. Hom. 26. in Evang. ubi Greg. loquitur in casu illo, quando homo non habet voluntatem credendi ea quæ sunt fidei, nisi propter rationem inductam. *Quando autem homo habet voluntatem credendi ea quæ sunt fidei ex sola auctoritate Divina, etiamsi habeat rationem demonstrativam ad aliquid eorum, puta ad hoc quod est Deum esse, non propter hoc tollitur vel diminuitur meritum fidei* S. Th. 2. 2. q. 2. a. 10. ad 1. Sic quamvis Philosophus demonstraret existentiam DEI, non tamen impeditur à diligendo DEO per actus meritorios charitatis Theologicæ, qui semper præsupponunt fidem. Aut multo felicior idiota esset potens actu assentiri meritorio, qui tamen repugnaret doctis. Et quidem certitudo fidei adhæsiw major est omni certitudine cujuscunque scientiæ, & quovis assensu naturali habemus firmiorem propheticum sermonem 2. Petri 1. v. 19 dum  
pro

pro assensu fidei fiat firmitus motivum, quàm pro assensu intellectus tantum naturali. Fundatur nempe in prima veritate, quæ intellectum minus potest fallere quàm decipi possit assentiendo primis principiis naturalibus: *faciliusque dubitare vivere me, quàm non esse veritatem* S. Aug 7. Conf. c. 10. Et quamvis scientia intensivè & accidentaliter certior sit quoad nos, prout distinctius cognoscit suum motivum: appetitivè tamen & adhæsivè fidelis veritatem sibi à DEO revelatam præfert, ut mortem subire mallet quàm de hac veritate voluntariè dubitare; mortem nunquam subiturus pro veritate tantum naturaliter cognita.

## THESIS XXXIII.

### *Spes & Caritas.*

**S**pes est erectio animi, efficaciter desiderantis beatitudinem æternam: obtentu difficilem, sed acquisibilem cum auxilio DEI. Cujus secundarium objectum materiale est beatitudo formalis, aliæque bona creata quæ à sperante desiderantur tanquam subordinata beatitudini: ut quod pro objecto materiali factæ nobis promissiones Divinæ habent, perinde sit objectum spei. Objectum primum DEUS est, tanquam beatitudo hominis objectiva; penes quod differt adæquatè spes à caritate, prout spes tendit in DEUM amore concupiscentiæ in quantum speranti bonus est: caritas amore amicitiae tendit in DEUM in quantum absolutè non respectivè bonus est. Prout spes quoad genericam rationem suam dicit rationem desiderij, habet pro suo motivo bonitatem DEI respectivam nobisque bonam. In quantum continet erectionem animi ex suo conceptu differentiali, motivum spei est DEUS fidelis

fidelis misericors & omnipotens auxiliator. *Ego autem in misericordia tua speravi* ps. 12. v. 6. *DEUS meus adjutor meus* & *sperabo in eum* ps. 17. v. 3. Per quæ ad sperandum excitamur, scientes DEUM ut est omnipotens posse: ut est fidelis in promissis & misericors auxiliator, juvare velle ad finem ultimum consequendum. Unica est quidem entitativè virtus, cum tamen diversas formalitates involvat, plures ex parte motivi rationes quasi partiales habere debet ut fiat motivum adæquatum. *Objectum autem spei est uno modo beatitudo aterna, & alio modo Divinum auxilium* S. Th. 2. 2. q. 17. a. 7. ☉. Quæ prout efficax desiderium est, & erectio animi: ex suo conceptu adæquato partim bonitatem DEI respectivam attingat, partim omnipotentiam fidelitatem misericordiam in nobis adjuvandis. Neque moveret sola misericordia aut fidelitas, nisi adesset omnipotentia juxta propensionem misericordiæ subvenire potens ad ea implenda quæ promisit DEUS: nec sola omnipotentia moveret, si non adesset misericordia aut in promissionibus implendis fidelitas. Juxta præsentem Providentiam DEUS ad bene operandum excitat spe præmii conferendi, & ad pœnitendum excitat spe veniæ: ut juxta præsentem Providentiam sua damnatio revelari nulli possit absolute ac decretoriè, sed comminatoriè tantum & conditionatè si non adhibuerit media ad eam evitandam. Quia tamen futura damnatio non est ab intrinseco ex essentia sua irrevelabilis, ab extrinseco autem imponi silentium DEO non potest ut eum cogamus ad non loquendum de objectis sibi notis: tanquam absolutus Dominus eam cuivis reprobo revelare posset. Nec status viatoris totaliter tolleretur, nondum ad pœnas æternas executivè detrufi sed tantum designativè. Quam si revelaret DEUS,  
non

non inde licebit positivè salutem suam desperare; ne per hoc contemnatur DEUS seu bonum arduum beatificans hominem, qui DEI contemptus semper illicitus & ab intrinseco malus est. Solum negativè salutem sine contemptu desperare posset, in quantum erectio animi tali casu fieret impossibilis. Credens hanc DEI revelationem nullam de sua salute spem habere potest, quod solum objectum possibile ut probabiliter futurum vera spes tangat: tunc autem apprehenditur beatitudo impossibilis, ac certò deneganda. Verum est adhuc mansuram libertatem peccandi, dum nullum principium voluntatem necessitans ad suum peccatum pro priori adest. Si tamen peccatum actuale ut jam est revelatum sumamus, jam talis revelatio supponit certam peccati existentiam: ut quia peccabit finaliter, peccatum suum in sensu composito peccati omittere homo non possit, adeoque salutem suam sperare. Teneretur quidem & posset servare omnia præcepta, solum hoc spei præceptum excipiendo pro quo impedimentum haberet; quale non adest respectu reliquorum. Implendo illa non sibi auget alias inferni pœnas, aut pœnas minueret peccati præteriti; sed nullum servare cum spe salutis posset, quam certò judicaret impossibilem sibi finaliter peccaturo esse & nunquam obventuram. Manent nunc *fides spes charitas tria hæc, major autem horum est charitas* 1. Cor. 13. v. 13. quâ DEUM amore amicitiae amamus propter se, moti absoluta bonitate DEI: non verò amore concupiscentiæ, amando DEUM ut nobis respectiva bonitate bonus est. Charitas habitualis realiter distincta est à gratia sanctificante, tanquam proprietas physica à sua radice ex qua emanat: dum in ordine supernaturali gratia dat esse elevando hominem, & charitas operari posse; quæ duo distincta sunt in creatis.



tis. Unde etiam Trid. Sess. 6 c. 7. docet justificationem fieri *per voluntariam susceptionem gratia & donorum*, inter quæ dona charitatem ponit.

## THESIS XXXIV.

### *Justitia commutativa in DEO.*

**J**ustitia commutativa formaliter in suo conceptu essentiali sumta nullam imperfectionem involvit, quò minùs tribuatur DEO. Indigentia personarum commutantium cum stricto contrapasso (propter quod tantum nocumentum quilibet in proprijs patiat, quantum ex bonis alienis vult reportare & lucrum) non intrant formaliter conceptum justitiæ ut sumtæ ratione sui, aut summùm justitiæ humanæ prout humanæ conveniunt. Inter nos quoque conceptus justitiæ salvari potest, & vera commutatio exerceri ubi nulla intercedit indigentia; ut quando commutantes emunt rem sibi superfluum. Quòd si æqualitas inter commutantes necessaria videatur: non minùs requiritur ad amicitiam, quo nihil obstante certum est veram amicitiam dari in DEO respectu creaturæ. *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui DEUS* ps. 138. v. 17. Vel saltèm sequeretur justitiam commutativam inter DEUM & Christum exerceri posse: *exprobraverunt commutationem Christi tui* ps. 88. v. 52. Juxta nos sinè æqualitate intrinseca, aut fundata in personis commutantium, vera justitia haberi potest: modò supposita conventionne libera ex dato & accepto, commutantes æquales sint quoad jus dati & accepti, adæquando jus proprietatis passivum cum jure activo sive ut res commutabiles æquales sint. Tales autem æqualitates habentur quando creatura offert DEO meritum de

con.

condigno, quod ex pacto & gratia DEI valoris tanti est quanti præmium. Dicunt quidem PP. merita & opera nostra secundum rationem formalem actus humani sumta ( præscindendo à promissione ac ordinatione DEI, aut à valore gratiæ dignificantis meritum ) non esse æqualia præmio quod DEUS creaturis confert: *existimo enim quod non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam* Rom. 8. v. 18. aut sumunt valorem operum nostrorum quem ex naturali substantia sua habent, dicuntque non servari justitiam commutativam in retributione propter defectum æqualitatis. Sed post promissionem DEI in quantum dignificata sunt per gratiam, æquantur præmio & sunt de condigno meritoria vitæ æternæ. Licet insuper à præmio semper excederetur hic meritorum valor, adhuc inter DEUM & inter creaturam contractus commutationis dari posset, in quo præter justitiam exerceretur liberalitas. *Ei autem qui operatur merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum* Rom. 4. v. 4. & tale debitum justitia respicit, cuius jus suum tribuendo. Sæpe gloria vocatur debitum, merces, depositum, corona justitiæ; quæ non sunt objectum fidelitatis sed ex essentiali conceptu suo justitiam formalem respiciunt. *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus iudex* 2. Tim. 4. v. 8. non purè misericors, liberalis omnipotens. Ubi S. Th. lect. 2. *Corona justitiæ est, quæ datur ex justitia*: ipsùmque verbum reddendi debitum supponit, cui ex justitia satisfiat. *Gratia autem DEI vita æterna* Rom. 6. v. 23. si radix merendi attendatur collata nobis gratuito, simulque justitiæ quantum ad actum procedentem à voluntate quæ jam sit instructa gratiis & pactum supponente: ut licet creatura secundum se spectata non sit principi-

um radicale & dignificativum, vel independenter à promissione DEI & seclusâ gratiâ, sit tamen principium immediatum unâ cum promissione & gratia ex supposito quòd exerceat opus bonum. *Debetur merces de bonis operibus si fiant, sed gratia qua non debetur præcedit ut fiant* Conc. Arausic. 2. sub Felice Papa IV. Multa quoque hominibus promittit DEUS sub pacto oneroso ponendi actus honestos meritorum: omnis autem acceptata promissio dum ex pacto promissarijs oneroso facta est, inducit obligationem justitiæ. Et quia promissiones Divinæ non sunt metaphoricæ: neque hoc sensu retributio sumenda est aut corona justitiæ. Tametsi verò infinitis titulis aliunde nostra opera sint debita DEO, non tamen titulo justitiæ debita sunt ante pactum. Et potest aliquis rem ex justitia debitam simul solvere ex obedientia si superior mandet, aut ex religione dum se soluturum vovit. Quamvis etiam ante pactum titulo justitiæ debita DEO fuissent: posset ea nobis donare, & nobiscum iterum pacisci ut pro mercede aliqua opus præviè donatum sibi offeramus. Omnis quidem creatura essentialiter est serva DEI, cui tamen aliquarum rerum suorumque actuum liberorum DEUS dominium particulare pro libertate sua potest concedere: & hoc donato agere potest non ut Dominus cum servo, sed ut venditor; quod sufficit ad fundandam in DEO justitiam commutativam. Neque per illam propriè subjicitur alteri, à nobis dependet aut cum jactura dominij sui restringitur: dum non obligatur nobis per legem superioris, à quo ad solvendum cogi possit; sed tantum debitor est debito quoad vim obligandi fundato in libera promissione sua & pacto, & in immutabilitate DEI sponte obligati per obligationem nullius utilitatis aut intrinseci boni privativam. Sic fidelitas nihil

nihil præjudicat Dominio DEI, etiam si stante fidei  
promissione DEUS non possit aliter disponere de re  
quam promisit.

## THESIS XXXV.

### *Possibilitas & convenientia In- carnationis.*

**V**erè jam facta Incarnatio, est de se possibilis;  
per quam Verbum assumens Humanitati uni-  
tur non tanquam complebile, sed ut commu-  
nicans suam perfectionem cum mutatione solius Hu-  
manitatis. *Quod est perfectum in se, non unitur al-  
teri ad acquirendum aliquam perfectionem, sed ad com-  
municandum: & sic DEUS homini uniri voluit S.*  
Th. 3. dist. 1. q. 1. a. 1. ad 2. In quantum proinde sup-  
positum à subsistentia dependet tanquam ab actu na-  
turam terminante, & qui sit perfectivus naturæ:  
Verbum intrinsecè aliter se habet terminando suam-  
que perfectionem dando, sed nihil recipiendo per  
informationem aut inhæsiōem. Sicut absque sui  
mutatione per productionem mundi factus est DE-  
US Creator ex non creante. Nisi quis dicat extrin-  
secè ac impropriè Verbum assumpta Humanitate mu-  
tatum esse, dum ante Incarnationem in potentia a-  
ctiva erat ad terminandam & perficiendam activè  
Humanitatem, sinè passiva potentia ad eam recipien-  
dam aut sustentandam; activè autem assumere ter-  
minando, non est mutari. Possibilitas Incarnatio-  
nis non est positivè demonstrabilis independentè à  
revelatione DEI, dum nullus intellectus creatus ra-  
tionem tantum naturalem spectando habet princi-  
pia connexa infallibiliter cum ente supernaturali.  
Summè conveniens DEO fuit: non quidem con-  
venientiâ collativâ boni alicujus intrinseci, aut ma-  
li sublativâ; sed quòd Incarnato Verbo medium ele-

gerit maximè cum fine proportionatum ad perfectiones suas per Christum manifestandas hominibus, gloriàmque suam extrinsecam obtinendam faciliùs ex tali manifestatione. *Apparuit enim gratia DEI Salvatoris nostri omnibus hominibus* Tit. 2. v. 11. *benignitas & humanitas* 3. v. 4. *sapientia, charitas, justitia DEI: sic enim Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat sed habeat vitam æternam* Joan. 3. v. 16. remisso radicaliter ac virtualiter peccato, postquam in Christo pretium donatum est pro solvendis debitis quæ homo contraxit ex peccato. DEUS quidem *semetipsum exinanivit formam servi accipiens* Philip. 2. v. 6. sed formam naturalis servi & quidem voluntarij, non ex indigentia aut necessitate coacti, & ex honestissimis motivis misericordiæ liberalitatis justitiæ: ut licet legalis servitus jure gentium inducta contemtibilem servum reddat, privando illum omni jure ad communicandum in divitiis & honoribus cum Domino; non tamen contemptu sed amore dignus est, qui sponte se offert servituti propter præstantissimos ac utilissimos fines. Non minùs naturæ humanæ fuit conveniens; quam Incarnatio malum removendo & conferendo bona perficit, summèque utilis imò Humanitati summè delectabilis est & honorifica. Verum est eam subsistentiâ propriâ fuisse spoliatam, sed pro qua increatam accepit & multo nobiliorem à Personalitate Verbi; non tanquam substantiale hominis complementum in ratione compositi humani aut naturæ prout est homo, sed tanquam complementum in ratione suppositi ac Personæ ut subsistens homo est. Juxta naturalem quidem exigentiam, *uniri DEO in unitate Personæ non fuit conveniens carni humanæ* S. Th. 3. p. 1. a. 1. ad 2. sed quoad obedientialem potentiam Humanitatis, summè con-

for,

formis huic naturæ erat. Hominem præ alia creatura tanquam omnis creaturæ compendium ad hanc unionem elegit : etiam præ Angelis, *nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit* Hebr. 2. v. 16. quòd homo liberandus fuerit, non Angeli: neque tota Angelorum universitas perivit, sicut perivisset tota natura humana si non fuisset allatum remedium. Neque plus juris natura Angelica habebat ad donum unionis gratuitum & in substantia supernaturale : ut Humanitati sine injuria postponeretur in electione liberissima & nulli obligata. Dúmque natura humana eò propiùs ad ultimum finem suum accedit, quò majoribus prævenitur gratijs in sui elevatione : sine violentia ad hanc sublimitatem evecta est, quamvis lapidi violentum esset elevari altiùs sive magis à centro removeri.

## THESIS XXXVI.

*Necessitas Incarnationis post peccatum malitia non simpliciter infinita.*

**D**EUS liberrimus in operationibus suis ad extrà, non erat necessitatus ad Incarnationem, ponendam absolute; sine qua sicut Beatus æterno fuit, non minùs omiffa Incarnatione Beatus esse, ac solà bonitate suà quietari potuit. Neque moralem necessitatem habebat DEUS, cùm talis necessitas opponatur Dominio DEI ac ejus libertati multum deroget, indigentiam arguat & quendam defectum beatitudinis secluso eo quo saltèm secundùm necessitatem moralem opus est. Postquam universum condidit, nondum necessitatus ad Incarnationem erat; quòd nullo titulo naturæ debitum sit donum supernaturale. Si ad supernaturalem statum hominem elevare voluit : pro sua libertate gratiam dare homini potuisset nullo mediante instrumento,

neque ad Christum ponendum necessitatus ex hac suppositione DEUS erat. Hoc rerum ordine collata gratia facit nos quidem *coheredes Christi* Rom. 8. v. 17. in quantum defacto libere decretus fuit à DEO; non tamen coheredes essentialiter, ut non potuerimus elevari sinè Christo. Sic in humanis participatio naturæ paternæ filium facit absolutè hæredem, coheredem verò tantùm conditionatè si ex supposito dentur plures filij. Non etiam fuit necessitatus ex suppositione hominis in peccatum lapsi, aut à peccato liberandi; sed potuisset hominem non redimere, ut non redemit Angelos: vel si misereri voluisset, potuit condonato sponte peccato hominem in gratiam resumere, aut contentus esse aliquali satisfactione cùm etiam defacto infra condignum puniat. *Sunt autem stulti, qui dicunt: non poterat aliter sapientia DEI homines liberare, nisi susciperet hominem* S. Aug. de agone Christiano c. 11. Quòd si DEUS satisfactionem condignam pro peccato requisivit: ex hac suppositione fatemur Incarnationem, fuisse necessariam, dum pro peccato mortali ex rigore justitiæ satisfacere purus homo non potest etiam adjutus gratiâ DEI; *nam neque per ipsum liberaremur unum Mediatorem DEI & hominum Hominem Christum JESUM, nisi esset & DEUS* S. Aug. Enchir. c. 108. Peccatum mortale scilicet altioris est ordinis, quàm sit opus cujuscunque puræ creaturæ etiam in gratia constitutæ; ut nulla satisfactio puræ creaturæ offensam adæquare possit, dum ex iisdem capitibus decrescit satisfactio ex quibus offensâ crescit, seu ex vilitate personæ satisfaciens & ex dignitate DEI: quòd DEUS offensus per peccatum infinitæ sit dignitatis, omnis autem creatura offendens vilis sit & contemptibilis respectu DEI. Potest quidem per actum contritionis aut dilectionis DEI compen-

sare

fare priorem averfionem fuam à DEO, fed  
 nunquam compensabit injuriam personale. Si-  
 cut qui Regi diadema detraxit, postquam reponit  
 diadema, fatisfacit quoad rem ablatam compensando  
 injuriam realem, fed non fatisfacit pro injuria quo-  
 ad rationem offensæ personalis. Solus Christus fa-  
 tisfecit ex justitia, quem proposuit DEUS propitiatio-  
 nem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem ju-  
 stitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum  
 Rom. 3. v. 25. Hanc verò infinitam Christi satisfactio-  
 nem tantum indirectè peccatum requirebat & per ac-  
 cidens, quòd in nulla pura creatura detur satisfactio  
 ejusdem ordinis; non tamen directè & per se, quasi  
 peccatum malitiam includat simpliciter infinitam.  
*Peccatum essentialiter finitum est, licet habeat aliquam  
 habitudinem ad bonum infinitum* S. Th. q. 2. de malo a.  
 9. ad 5. Aut si infinita malitia arguatur ex hac habi-  
 tudine: etiam dilectio DEI & omne peccatum ve-  
 niale infinitum erit, cum æquè aliquam habitudinem  
 habeant ad bonum infinitum. Imò omnia peccata  
 mortalia secundum malitiam essent æqualia, cum  
 unum infinitum non sit majus altero. Nihilque ad-  
 est, ex quo prædicta infinitudo desumi possit: dum  
 in actu finita est intensio, & duratio, & advertentia,  
 & libertas. Damnum quod DEO infertur est finitum  
 tantum, quo DEUM honore extrinseco peccator  
 privat. Objectum actus, seu DEUS offensus per  
 peccatum, solum refundit malitiam altioris ordinis,  
 ut tantum objectivè ac terminativè sit infinitum.  
 Correspondet quidem peccato mortali pœna infini-  
 ta quoad durationem, sicut merito reddetur æternum  
 præmium: non tamen infinitum peccatum est in  
 malitia, sicut meritum infinitum non est in bonita-  
 re. Actus charitatis non est infinitè bonus ex eo  
 quòd in DEUM transferat rationem finis ultimi, &



quantum in se est DEUM affectivè ponat : ut neque peccatum infinitum reddatur ex eo , quòd à DEO auferat rationem finis ultimi eúmque affectivè quantum in se est destruat. Valor meritorum Christi simpliciter infinitus est propter dignitatem Personæ operantis , à qua desumitur moralis forma valoris intrinsecè actus Theandricos dignificans ; DEUS autem offensus est objectum tantùm extrinsecum , & per infinitam bonitatem suam moralis forma peccati esse non potest. Quæ Christi Humanitas , si vel unicum peccatum posset committere , privaret se omnibus Christi meritis & Personalitate Verbi : non propter infinitam malitiam peccati , sed propter incapacitatem subjecti in quo Divinitas non potest componi cum peccato Unde etiam privaretur omnibus Christi meritis & Personalitate Verbi per peccatum veniale , quin hoc censeatur malitiam continere simpliciter infinitam.


## THESIS XXXVII.

*Christus à DEO decretus.*

**A**Liqua voluntas DEI decernens Incarnationem , præcessit absolutam prævisionem peccati : *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.* Prov. 8. v. 22. ut quia decretum Incarnationis præcessit omnes creaturas , Christus jam esset prædestinatus ante peccatum absolutè prævisum & prout committendum à creaturis. Tanquam *primogenitus omnis creature* Coloss. 1. v. 15. decreto efficaci ante omnem creaturam decretus fuit à DEO , cùm tamen peccatum creaturam supponat jam actu productam ut peccare possit. In primo hoc signo quo ante prævisum absolutè

lutè peccatum quoad substantiam Christus prædestina-  
tus est voluntate DEI antecedente, nondum decre-  
tus est quà Redemptor; imò libere seipsum obtulit ad  
munus Redemptoris, quod jam supponebat Christum  
ex primo decreto absolutè ponendum in natura re-  
rum. Ut tanquam Redemptor formaliter decerni pos-  
set ad mundum liberandum per Passionem suam &  
mortem, peccatum absolutè futurum DEUS pro tali  
decreto supponebat & jam absolutè prævisum; qui  
nulli absoluta voluntate mortem in pœnam intendit,  
non prævisâ culpâ. Motivum principale extra boni-  
tatem Divinam & finis primarius decernendi Chri-  
stum, erat singularis excellentia Christi; quam  
DEUS intendit decernendo Christum ante omnes  
creaturas, *ut sit in omnibus ipse primatum tenens* v.  
18. Redemptio nostra jam ante peccatum supponebat  
Christum absolutè intentum esse à DEO, consequen-  
ter alium supponebat finem ut Christus prædestinare-  
tur: & cum sit Incarnatione multò vilior, *inconve-  
niens est dicere quòd aliquid sit unicè propter vilius se,  
ut luna & stelle propter noctuas & vespertilioes, cum  
finis potior sit his quæ sunt ad finem* S. Th. 2. Dist. 15. q.  
1. a. 1. ad 6. unde non sola hominum redemptio quoad  
substantiam unicus est finis Incarnationis. Neque  
dum PP. excludunt alia motiva aut fines extrinsecos,  
volunt excludere motivum intrinsecum quod est ex-  
cellentia & exaltatio Christi. Aut solùm Incarnatio-  
nem intelligunt prout nunc factam in carne passibili  
cum circumstantijs suis, non prout decreta est per  
decretum primum & primò intentivum Christi. Quod  
primum decretum præscindit à circumstantia carnis  
passibilis: sicut decretum intentivum gloriæ ut coro-  
næ præscindit à meritis absolutè positis & jam prævi-  
sis, licèt decretum executivum attingat ultimas me-  
ritorum circumstantias, *Quare in carne passibili ve-  
nit*

*uit in mundum ? peccatores saluos facere. Alia causa non fuit, quare tanquam Redemptor veniret in mundum* S. Aug. serm. 8. de verb. Apost. c. 7. Qui tamen decretus est, ut veniret modo optimo spectatis rerum circumstantijs; & supposito quidem peccato optimus modus fuisset, ut veniret quò Redemptor in carne passibili, si peccatum non daretur, optimus modus fuisset gloriosum venire in carne impassibili quò principium rerum & fontem omnium gratiarum. Licet proinde non peccasset Adam ( qui ante peccatum absolute prævisum jam fuit decretus ) nihilominus venisset. Christus vi primi decreti propter sanctificationem & glorificationem hominum & Angelorum, suas collaturus gratias etiamsi nunquam peccasset. *Quidam probabiliter dicunt, quòd si homo non peccasset Filius DEI Homo non fuisset - alij verò dicunt, quòd cum per Incarnationem Filij DEI non solum liberatio à peccato, sed etiam humane nature exaltatio & totius uniuersi consummatio facta sit, etiam peccato non existente propter has causas Incarnatio fuisset : & hoc etiam probabiliter sustineri potest* S. Th. 3. Dist. 1. q. 1. a. 3. ☉. Vi præsentis decreti traditus est propter delicta nostra Rom. 4. v. 25. tum propter originale, tum ad peccata actualia tollenda. Qui nos non redemisset, si abstulisset sola peccata actualia sinè originali: & redemisset valde paucos, si tantum peccato originali sublato nos adhuc reliquisset in actuali. *Sanguis JESU Christi Filij ejus emundat nos ab omni peccato* 1. Joan. 1. v. 7. ubi nullum peccatum excipitur.



# THESIS XXXIIX.

## *Unio Hypostatica.*

**U**Nio Hypostatica modaliter distincta est à Verbo, & ab Humanitate Christi : ut quia non datur transitus de contradictorio. intrinseco ad Contradictorium intrinsecum absque mutatione intrinseca saltè uni transeunti, Humanitas Christi & Verbum non possint ex non unitis fieri unita sine distincta unione intrinseca Humanitati; sinè qua dici non posset *Verbum Caro factum est* Joann. I. v. 14. etiamsi detur tam Verbum quàm nostra Humanitas. Quæ indifferens est ut uniatum cum Persona Patris aut Filij aut Spiritus Sancti, vel nulli earum uniatum, Personæ omnes sunt æquè indifferentes ad Humanitatem : neque indifferentia hæc formaliter tolli potest, nisi accedat distinctus modus unionis intrinsecus Humanitati tanquam medium ut quo. *In rei veritate nullus habetur locus in quo formaliter D. Thomas excludat unionem, à natura humana & Verbo unitis distinctam, quæ solum sit modus quidam substantialis, qualem valde probabiliter Complutenses & alij recentiores Thomistæ inter materiam & formam constituunt* Gonet Tom: 4. Clyp. Disp. 6. de DEO Incarn. n. 46. Non minùs distincta est à productione Humanitatis, quam Humanitatem dum assumitur oportet præintelligi assumptioni S. Th. 3. p. q. 4. a. 2. ☉. ut jam supponatur Humanitas constituta ante unionem Hypostaticam, & quoad prioritatem naturæ prius secundum intellectum oportet quòd caro uniatum animæ quàm Verbo q. 6. a. 4. ad 3. Etiam modaliter distincta est ab actione ut unitiva; quæ non producit Humanitatem sed jam constitutam supponit, nec Verbum

bum producit sed distinctam à se unionem. Hæc  
 substantialis unio facta non est in natura, quasi in  
 Christo natura Divina & Humana sint natura unica;  
 dum opus utrâque est ut salvâ doctrinâ Catho-  
 licâ dicatur verè tam DEUS quàm Homo. Si  
 autem naturas confundendo eas supponamus mu-  
 tatas esse, Divinam in Humanam, factâ conversione  
 Christus non posset vocari nec mansisset DEUS; si  
 facta fuisset conversio naturæ Humanæ in Divinam,  
 non fuisset Homo; si ambæ fuissent conversæ in a-  
 liquam tertiam, Christus per talem naturam nec fuif-  
 set Homo nec DEUS. Juxta nos Verbum Humani-  
 tatem non immediatè terminat per aliquid absolu-  
 tum, sed per proprietatem suam relativam: sicut  
 naturam Divinam terminat per suam Personalitatem  
 & prædicatum relativum. *Filius suscepit Humani-  
 tatem in singularitate Personæ, non in unitate Divi-  
 næ naturæ: id est in eo quod proprium est Filij, non  
 quod commune Trinitati* Conc. Tolet. 6. sub Honor.  
 Papa c. I. Quòd si Verbum formaliter & primariò ac  
 per se immediatè per prædicatum aliquod absolutum  
 naturam humanam terminaret, non solus Filius sed  
 etiam Pater & Spiritus Sanctus fuisset Incarnatus:   
 cùm in Divinis prædicatum de se absolutum conve-  
 niens uni Personæ, pariter conveniat omnibus. Ne-  
 que per summam identitatem essentia identificata  
 est cum Personis, ut excludat omnem distinctionem  
 etiam in tertio. Sic in Filio identificata est cùm  
 Filiatione, à qua tamen mediatè distincta est in Pa-  
 tre: ut possit Humanitatem Filius terminare non In-  
 carnato Patre. Et quia Filiatio ab essentia saltèm  
 mediatè distincta est: Verbum vi suæ Personalitatis  
 uniri Humanitati potest immediatè, quin per hoc  
 immediatè assumptam Humanitatem terminet essen-  
 tia aliàs identificata cum Personalitate Verbi.

# THESIS XXXIX

## *Merita Christi cum suo valore.*

**M**erita Christi valorem moraliter & ab intrinsecò condignum in se habuerunt ex dignitate Christi, non verò ex pura acceptatione extrinseca DEI: *emti enim estis pretio magno* I. Cor. 6. v. 20. Quod tamen pretium si vilius esset re emta ( etiamsi pro re cariori liberaliter acceptetur ) magnum non erit, ut possit vocari *copiosa apud eum redemptio* ps. 129. v. 7. Et quia etiam acceptare DEUS potuisset merita puræ creaturæ: si ab hoc meritorum valor unicè desumatur, etiam pura creatura satisfacere potuisset. Qui Personalis valor meritorum Christi simpliciter infinitus, *Thesaurum militanti Ecclesiæ acquisivit - ut sic sit infinitus thesaurus hominibus* Extra. *Unigenitus DEI*. de Pœn. & Remiss. inter communes. Erátque sufficiens ac superabundans ad satisfaciendum pro quibuscunque peccatis, & in quacunque specie aut numero: merendumque insuper quodcunque cogitabile præmium. Fundatur intrinsecus hic valor meritorum in dignitate Personæ operantis, tanquam in forma dignificante: ut censeatur tantò dignius majúsque meritum quantò dignior est Persona operans, & dum est infinita refundat similiter valorem infinitum. Neque Personalitas Verbi est tantum objectum extrinsecum respectu operationum Christi, sicut DEUS est tantum objectum extrinsecum respectu injuriæ sibi illatæ per peccatum; sed est moralis forma, quæ sicut Humanitatem dignificat, æquè dignificat operationes tali Personæ intrinsecè unitas: non quidem immediatè in Personalitate Verbi, sed tantum unitas mediante naturá quæ illas elicit, Physicus tamen valor

lor & purè objectivus, quem operationes Christi ex suo objecto formali habent & ex intrinseco modo tendendi, identificatus est operibus limitatis ac propterea non est infinitus. Unde etiam unum opus Christi melius est altero quoad valorem realem & physicum, desumptum ex objecto formali & ex intrinseco modo tendendi; sed in valore Personali omnia sunt æqualia. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia* Joann. I. v. 16. ut omnes gratiæ supernaturales, etiam ante Incarnationem Angelo aut homini collatæ, profluxerint ex meritis Christi. *Etiam Angeli Sanctificati creduntur in Filio* S. Greg. I. Reg. 2. Qui licet tempore posterior fuerit, hoc nihil obstante antiquorum culpas sua Passione delevit, nec minùs potuit mereri gratias à DEO conferendas intuitu meritorum Christi. *Nihil autem prohibet id quod est posterius tempore, antequam sit, movere secundum quod præcedit in actu animæ* S. Th. 3. p. q. 62. a. 6. ☉. ut meritum causare possit, dummodo extitutum in se prævideatur per scientiam visionis: cum absolutè in se extitutum eandem bonitatem adferat, quam adfert meritum jam positum. A quo omnes gratiæ profluxerunt, etiam donum Maternitatis meritis est B. Virgini: & per accidens erat processisse Christum ab hac Matre, ut totus conceptus meriti salvari potuerit in scientia absoluta DEI pro priori ad conferendam gratiam Maternitatis. Multæ scilicet circumstantiæ physiciæ non intrans conceptum meriti, sed per accidens tantum se habent etiamsi absque illis meritum physicè dari non possit. Sic nullum meritum esset physicè, nisi fiat in loco determinato ac determinato tempore; quæ tamen respectu meriti per accidens se habent, ut eadem bonitas & valor haberi posset etiamsi fuissent aliæ circumstantiæ. Meritum proinde Christi est prius

prius respectu Maternitatis quoad causalitatem moralem, & in absoluta præscientia visionis: estque simul posterius in genere causæ efficientis. Neque Maternitas influit per se in meritum prout in suo valore morali sumtum, sed tantum influit per accidens in physicam entitatem Christi: & tanquam causalitas, sinè qua idem numero Christus merens esse potuisset etiam in præscientia præmiantis. Verum est principium meriti etiam mediatum nunquam cadere sub meritum, si concurrat tanquam principium per se intrans conceptum meriti, sinè quo tale meritum haberi alio modo non possit: si verò habeat se per accidens neque intret conceptum meriti, ut idem meritum aliâ viâ haberi potuisset, potest hoc sensu cadere sub meritum. Unio Hypostatica est per se principium meriti, quam Christus mereri non potuit quoad substantiam aut primum esse unionis: sinè qua nondum fuisset pro priori Christus; ut sibi unionem Hypostaticam promereri posset.

## THESIS XL.

### *Sanctitas & impeccabilitas Humanitatis Christi.*

**H**umanitas Christi, quem Pater sanctificavit & misit in mundum Joan. 10. v. 36. facta est per unionem Hypostaticam sancta substantialiter sanctitate Verbi increata; ut dum sanctitati proprium est participare Divinum esse, mundare à peccato & fundare amicitiam ac Filiationem DEI: multò magis effectus illi convenient Humanitati propter unionem Hypostaticam quàm per gratiam sanctificantem, quòd per unionem Humanitas evehat ad Personale esse Divinum, fiat impeccabilis, reddatur Homo amicus imò naturalis Filius DEI, Non



tamen intelligens facta est per intellectionem increatam; quam cum improducta essentia identificatam non eliciisset Humanitas ut ab intrinseco procedentem, quod est de conceptu operationis vitalis. Non etiam facta est immensa, omnipotens, æterna; quod defacto assumpta sit Humanitas cum proprietatibus sibi naturaliter competentibus excepta personalitate humana, naturales autem proprietates naturæ humanæ sunt esse in loco determinato & indeterminato tempore, seu non ubique esse ac semper; ut hoc retineret Humanitas, & non participaret effectum immensitatis vel æternitatis. Potentia limitata ad determinatos tantum effectus pari ratione est naturalis proprietas Humanitatis: quam dum retinuit, non est reddita formaliter omnipotens. Sanctitas increata vicissim aut Personalitas nulli proprietati opponitur, quæ connaturalis esset Humanitati: ut salvis omnibus proprietatibus possit reddi formaliter sancta per sanctitatem Verbi substantialem. Neque sanctitas aut Personalitas, competentes etiam creaturis, involvunt in conceptu suo explicito infinitatem, sicut eam involvunt omnipotentia vel immensitas. Præter sanctitatem hanc substantialem, Christus sanctitatem habuit seu gratiam accidentalem; in qua radicarentur habitus virtutum infusarum, tanquam principium connaturale pro eliciendis actibus supernaturalibus. Infinita sanctitas omne peccatum impediabat, sicut impeditur per visionem beatificam: ut per unionem sui cum Verbo Humanitas redderetur impeccabilis. Aut tale peccatum potuisset adscribi DEO, in quantum actiones sunt suppositorum: neque Verbum respectu Humanitatis assumptæ habet se tantum ut provisor universalis, sed ut particularis curator cui actus peccaminosus fuisset imputatus. Quia tamen mortalem

lem Humanitatem assumfit, neque impedire omnia mala physica tenebatur: nihil ex morte indecens refundi potuit, sicut ex malo morali redundasset aut ex capacitate peccandi. Stante hac sua impeccabilitate præcepti capax, & liber ad illud servandum fuit; non quidem præcepti rigorosissimi obligantis in conscientia & comminatorii culpæ ac pœnæ (quod Christo impeccabili repugnabat, & comminationes sub culpa & pœna dedecebat intentare Filio ad omnem nutum Patris compositissimo) sed obligantis sub carentia alicujus perfectionis aut gloriæ accidentalis, casu quo Christus præcepto imposito parere nollet.

## T H E S I S X L I.

### *Sacramenta novæ legis.*

**U**Nivocè sumtum Sacramentum tam vetus quàm novum, est signum aliquomodo sanctificans ( nostrum perfectâ sanctitate, vetus Sacramentum legali: ambo Sanctitate statui suo proportionatâ ) & veram animæ sanctitatem ex institutione significans. Utraque esse debent signum sanctitatis practicum, non tamen est de ratione Sacramenti ut sic causare sanctitatem perfectam. Nostra quidem sunt signum demonstrativum gratiæ, & signum rememorativum Passionis Christi, & signum prognosticum gloriæ; dum tamen *Sacramenta veteris legis erant totaliter signa prognostica* S. Th. 4. Dist. 1. q. 1. a. 1. q. 1. ad 4. septem pro lege nova instituta sunt immediate à Christo potestate excellentiæ; delegari tamen creaturæ potuit, ut arbitrio suo Sacramenta institueret potestate ministeriali. Omnia septem tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materiâ, verbis saltèm æquivalenter talibus tanquam formâ: & Personâ ministri, solùm ut causâ effectivâ Flor. in

Decr. Eugen. Papæ IV. sæpe citando. Satis est primum fieri consummari verbis; quia tamen consecrata species panis ac vini ratione formæ in primo fieri prolata Christum præsentem continent, prout sic præfens speciebus panis per suam substantiam eminenter æquivalet his verbis demonstrativis sui: hoc est Corpus meum. Materiam & formam singulorum, non mutabilem ab Ecclesia, definivit Christus; quod fecit ultimam materiæ speciem pro certis Sacramentis designando, pro aliis subalternam tantum. Quando alterutra mutatur substantialiter, nullum fiet Sacramentum. Mutatur autem materia Sacramenti substantialiter, quando res ita mutatur in communi usu, ut perdat rationem materiæ à Christo institutæ: potestque materia mutari Theologicè, non facta mutatione quoad speciem substantialem physicam. Sicut licet physicè loquendo glacies verè sit aqua, respectu Baptismi tamen in sensu Theologico mutatur substantialiter. Si veram materiam Minister adhibeat, sit verum Sacramentum etiamsi privato errore teneatur contra veritatem Sacramenti Can. *Satis ostendimus* 48. de Consecr. Dist. 4. Sic Græcus validè consecrat in pane fermentato, etiamsi erroneè putaret hanc suæ materiæ qualitatem esse requisitam essentialiter. Mutatio substantialis Theologica formæ est, quando corrumpitur significatio verborum quam intendit Christus: accidentaliter erit, si forma mutata servet eundem verborum sensum cum forma præscripta. Imò re falsâ additâ, substantialis veritas & sensus verborum salvari potest: ut si aquâ calidâ baptizans dicat, baptizo te aquâ frigidâ in nomine Patris &c. Nec obstat errorem addi contra fidem: ut si Sacerdos consecrans dicat, hoc est corpus meum & Filius minor est Patre. Solus homo Viator est subjectum capax Sacramenti: prout  
vel

vel primam gratiam Sacramenta conferunt vel ejus  
augmentum, utriusque autem solos viatores capa-  
ces esse constat ex fide. Adultis recipientibus pro-  
prio consensu opus est ad valorem, & sufficere po-  
test intentio habitualis. Solus item, non tamen  
omnis homo viator est minister ordinarius cujuslibet  
Sacramenti; quod ministraret validè, licet in statu  
peccati mortalis constitutus esset Trid. Sess. 7. hic  
can. 12. ut scelesti Ministri vita non obsit valori.  
Constant. etiam Sess. 8. damnat hunc 4. errorem Wi-  
cleffi: *si Episcopus vel Sacerdos est in peccato mortali,  
non ordinat non conficit non consecrat non baptizat.*  
Propter quam causam Ecclesia prohibet de novo ba-  
ptizari eos, quos fortè hæretici aut schismatici ba-  
ptizassent tanquam animatum instrumentum Christi,  
quòd neque hæresis valorem minuat, si nullum erro-  
rem immiscendo baptizent ritu Ecclesiæ. Verum  
est actionem ministri in statu peccati mortalis fa-  
ctam, non esse collativam gratiæ prout est opus  
Ministri operantis: esset tamen collativa gratiæ  
ex opere operato. Sicut Medicus infirmus potest  
sanare alios, contra vim morbi medicinas dando. Et  
quia Minister Sacramenti influxu suo non confert  
gratiam virtute propriâ: non tanquam peccator  
agit sed tanquam speciale instrumentum Christi, quo  
sensu influxus Ministri sanctus est. Quando actu mi-  
nistrat, intentionem habere debet faciendi saltèm  
quod Christus instituit aut quod Ecclesia facit. Trid.  
cit. can. 11. Si duas voluntates repugnantes (veram  
& falsam) habeat, videndum quænam enervet alte-  
ram ex mente conferentis Sacramentum. Si veram  
intendat primariò, sit verum Sacramentum etiamsi  
putet has secum pugnantibus voluntates componi pos-  
se: si falsam anteponat veræ & eam primariò inten-  
dat, reddetur invalidum. Sic quando Minister ba-

character Sacramentalis componi potest cum quovis peccato, peccatum nunquam est obex respectu characteris nè hunc validum Sacramentum imprimat: adeoque character non habet alium obicem, nisi quo valor Sacramenti impeditur. Sacramenta vivorum, in quantum omnia habent vim dandi gratiam subjecto nullum ponenti obicem Trid. can. 6. possunt conferre primam gratiam, ut faciant contritum ex attrito: sicut vicissim Sacramenta mortuorum, dum in subjecto inveniunt primam gratiam, dant illi gratiam secundam sive augmentum gratiæ. Quæ sunt ejusdem rationis, conferunt æqualem gratiam subjectis æqualiter dispositis: & juxta inæqualem dispositionem adultorum causant in iis gratiam inæqualem *secundum mensuram quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem & cooperationem* Trid. Sess. 6. cap. 7. non propter dispositionem prout est actus meritorius, sed dispositio illa per modum solius conditionis concurrat, ut major excessus gratiæ adulto detur in usu Sacramenti. Tenemus autem cum Magno Suarez *Sacramenta novæ legis esse vera instrumenta, per veram ac physicam efficientiam attingentia veram productionem gratiæ* Tom. 3. in 3. Part. Disp. 9. Sect. 2. *ac verus dicendi modus est Sacramentum | conferre gratiam in instanti, in quo non extrinsecè sed intrinsecè perficitur ac consummatur* Disp. 8. Sect. 2. seu dum ultimum Sacramenti complementum adest. Vi cujus complementi desinunt Sacramenta esse in motu secundum fieri, sed ut habeant completum esse. Et nisi priores præcessissent, postremæ partes non essent ultimum complementum physicum: ut totum Sacramentum effectivè causet. Sic globus perfectus realiter contingit planum in puncto terminante quantitatem globi, quin

ptizando præstare vellet quod Christus instituit & quod Ecclesia facit, non tamen peccatum originale delere quamvis hoc sine Ecclesia Baptismum adhibeat: aut Christi voluntatem adimplere vellet, non tamen perficere intentionem Ecclesiæ quamvis hanc sciret conformari voluntati Christi: aut vellet Matrimonium Christiano ritu celebratum contrahere, non tamen suscipere Sacramentum licet fortè Sacramentum contractui illi à Christo fuisset annexum; nullum cum tali voluntate Sacramentum fiet, quòd desit intentio requisita essentialiter. Quòd si erroneè putaret matrimonium non esse Sacramentum, aliunde volens hunc suum contractum celebrare eodem ritu quo Christus instituit, habetur voluntas sufficiens ad verum Sacramentum. Intentio actualis non est simpliciter necessaria, & sufficere potest virtualis sed absoluta. Universim illa intentio est sufficiens, vi cujus censetur operari humano modo & in Persona Christi. Quæ tamen intentio non constituit Sacramentum intrinsecè, sed tanquam causalis unio præcisè spectat ad causam efficientem.

## THESIS XLII.

*Effectus & causalitas physica per potentiam obedientialem activam.*

**S**acramenta novæ legis continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt Flor. non tantùm objectivè excitando fidem, sed ex opere operato Trid. can. 5. 6. 8. Datur tamen Sacramentum novæ legis validum ac informe, si inveniat obicem in suscipiente per quem impediatur gratia. Sed quia  
cha.

planum contingat ratione cujusvis partis. Quo fine  
admittimus Sacramentis potentiam obedientialem  
activam, quâ DEUS uti possit ad omnem effectum,  
si aliunde nullam contradictionem involvat. *Sicut  
creaturæ inest obedientiæ potentia ut in ea fiat ( ad-  
mittit potentiam passivam ) quidquid Creator disposu-  
erit : ita etiam ut eâ mediante fiat ( admittit poten-  
tiam activam ) quod est ratio instrumenti* S. Th. 4. Dist.  
8. q. 2. a. 3. ad 4. Quæ virtus activa identificata est cum  
entitate creata: ut solùm extrinsecè distinguantur.  
partim ratione effectuum & propter diversum ope-  
randi modum ad quem DEUS creaturam assumit,  
partim in quantum respiciunt diversa principia. In  
quantum supponit generalem concursum DEI, est  
tantùm potentia naturalis : & dum creaturam acci-  
pimus in quantum supponit specialem concursum  
DEI, vi cujus Divinitus elevata agat modo creatu-  
ris indebito, sic sumta virtutem obedientialem acti-  
vam dicit. Et sicut concursus generalis nulli crea-  
turæ debetur, ut nunquam denegari possit si DEUS  
agere aliquando velit tanquam absolutus Dominus: sic  
neq; concursus specialis debetur huic rerum potentiæ  
inchoatæ quoad modum operandi indebitum, si DE-  
US concurrens operari præcisè velit ut auctor naturæ.  
*Tria sunt ( Baptismus, Confirmatio & Ordo ) quæ cha-  
racterem id est spirituale quoddam signum à ceteris  
distinctivum imprimunt in anima indelebile, unde in  
eadem Persona non reiterantur, reliqua verò quatu-  
or characterem non imprimunt, & reiterationem ad-  
mittunt* Flor. Distinctus est hic character ab anima  
ejusque potentiis, tanquam res à re. Immediatè  
imprimitur in substantia animæ, cui perpetuò ac in-  
delebiliter inhæret: ut Sacerdos à morte suscitatus,  
nunquam jam posset baptizari aut confirmari aut  
ordinari. Spectat ad primam speciem qualitatis, &  
est

est potentia tantum moralis. Sic character baptismalis capacem quidem reddit reliquorum Sacramentorum, sed non est propria potentia physica: & vere receptiva aut Sacramenti, aut alterius characteris, aut gratiæ. Sacerdos etiam vi sui characteris exercere potest, quæ nullus alius exerceret sine characterẽ ordinis: ut sit potentia moralis annexa Sacerdotio, in quantum designat personam sacram ad certas actiones deputatam. Unde per modum solius conditionis concurrat, ut DEUS ministri actione tanquam instrumento utatur. Ut autem exerceat actiones sensibiles in quibus consistit Sacramentum (sicut sunt actus loquendi, abluendi, unguendi) quoad hos actus sufficiunt naturales potentiæ. Quod nullus character intensivè augeri possit, cum tamen habitus intendantur: solum probat characterem habitum esse, qui nullam subjecti dispositionem requirat neque ab illa pendeat, consequenter homo totum simul characterem accipit. Nectale Sacramentum iterari potest, ut semel impressus animæ character quasi per actus frequentatos augeatur. Spectans ad primam speciem, vocatur habitus pro sola qualitate permanente sumtus: seu prout habitus qualitatem dicit difficulter mobilem, quâ bene subjectum disponatur in se absolute acceptum & nullam connotando actionem. Sicut gratia vocatur habitus, quamvis ad nullam actionem ordinetur.

## THESIS XLIII.

### *Baptismus & Confirmatio.*

**P**rimum omnium Sacramentorum locum tenet sanctum Baptisma, quod vitæ spiritualis janua est Flor. Institutum est à Christo antequam pa-



teretur. Definitio Baptismi metaphysica est, esse Sacramentum regenerationis : Physicè sumtus *Baptismus est ablutio Corporis exterior, facta sub forma præscripta verborum S. Th: 3. p. q. 66. a. 1. ☉.* Est unum numero Sacramentum, ut in eodem subjecto iterari nunquam possit. *Materia hujus Sacramenti est aqua vera & naturalis, nec refert frigida sit an calida Flor.* Actualis contactus aquæ seu vera corporis ablutio, est materia proxima. Hæc autem actio requirit contactum physicum cum quadam successiva motione aquæ per corpus humanum : & haberi potest seu corpus humanum aspergatur affusâ aquâ, sive in aquam immergatur mersione unâ vel trinâ can. *De trina mersio. 80. de Consecr. Dist. 4.* Dum PP. infantem baptizandum trinâ mersione immergi volunt in aquam, indicant consuetum morem suorum temporum ; qui erat servandus necessitate præcepti, non tamen necessitate Sacramenti. Forma est, *ego te baptizo in nomine Patris, & Filij & Spiritûs Sancti Flor.* In qua explicari debet actus abluendi, subjectum cui Baptismus applicatur, & unitas naturæ Divinæ cum Trinitate Personarum ut omnes distinctè nominentur. *Effectus est remissio omnis culpæ, originalis & actualis, omnis quoque pænæ quæ pro ipsa culpa debetur Flor.* Unde in quantum validus, characterem imprimi: cum fructu susceptus originale peccatum delet, & in adultis etiam peccatum personale quod commissum est ante Baptismum, gratiam causando in non ponente obicem. Quando per actum solius attritionis Baptismus in fictè baptizato reviviscit, solus hoc sensu dat totam gratiam, quòd detur à D E O intuitu Baptismi validè priùs suscepti. Si per Sacramentum Pœnitentiæ reviviscat, concurrunt simul ut duæ adjuvantes se partiales causæ : & quidem Baptismus directè tollit,

tollit, quæ ante Baptismi susceptionem contractæ  
erant; quæ autem peccata commissa sunt post Bapti-  
smum, tollit Baptismus concomitanter, directè au-  
tem & formaliter tolluntur per Sacramentum Pœni-  
tentix. Qui sinè Sacrilegio baptizatur fictus fictio-  
ne invincibili, neque post ritè susceptum Baptismum  
peccat: ut tollat fictionem, satis est esse attritum.  
Quando post suum Baptismum mortaliter peccavit;  
opus erit contritione perfecta ut obex auferri possit,  
& sinè alio Sacramento conferatur gratia per so-  
lum Baptismum. Qui obex etiam per actum solius  
attritionis auferri potest, dum fictè baptizatus con-  
fiteatur: quamvis multa mortalia post suum Bapti-  
smum commisisset. Idem est quando aliud Sacramen-  
tum (bona fide) homo fictè baptizatus suscipit cum  
sola attritione. Minister ordinarius est Sacerdos;   
in casu tamen necessitatis etiam *paganus & hereti-  
cus baptizare potest, dummodo formam servet Eccle-  
siae & facere intendat quod facit Ecclesia* Flor. Ideo  
Nicolaus Papa Baptismum approbavit collatum à Ju-  
dæo can. *A quodam Judæo.* 24. de Consec. Dist. 4.  
Infantes Christianorum ante usum rationis baptizare  
non tantum licitum, sed in casu necessitatis jure  
Divino, & extra illum jure Ecclesiastico præceptum  
est. Infantes infidelium non baptizatorum, invi-  
tis parentibus non licet baptizare extra casum ne-  
cessitatis; nisi parens sit servus à quo filius separari  
possit, vel nisi omnino amiserit Pater propriam  
potestatem. Vicissim nullus hominem rationis com-  
potem, si velit baptizari, impedire potest; quo  
sensu filium invito Patre, servum invito Domino  
baptizare licet. Præter adulti consensum saltè  
habitualement, nulla dispositio necessaria est ad valo-  
rem: ut fructum consequatur qui propriâ voluntate  
peccavit mortaliter, attritione opus est. Quando  
cum

cum solo peccato originali accedit, non erit ne-  
 cessarium præmittere pœnitentiam de tali peccato:  
 est tamen necessaria aliqualis dispositio, ut possit  
 adultus justificari. Satis est autem habere imper-  
 fectum amorem D E I, aut ejus mandata servare  
 velle ex quovis motivo supernaturali. *Secundum Sa-  
 cramentum est Confirmatio, cujus materia est Chri-  
 sma confectum ex oleo - & balsamo - per Episcopum  
 benedicto. Forma autem est: signo te signo Crucis  
 & confirmo te Chrismate salutis in nomine Patris &c.*  
 Flor. Unctio baptizati facta in fronte, est materia  
 proxima. Designatâ materia & formâ in nocte cœ-  
 næ institutum est inchoatè Fab. Papa. Ep. 2. & con-  
 summatè post Resurrectionem, dum Christus Aposto-  
 los consecravit Episcopos. Chrisma à vero Episcopo  
 benedictum est de essentia Sacramenti; quâ potestate  
 nullus Pontificum inferiores Episcopos spoliare potest,  
 cùm illis competat ratione ordinis neque pro suo valo-  
 re jurisdictionem requirat. Potestas confirmandi  
 certum Characterem supponit; sed quia Sacerdos in-  
 choatam habet, jam talis potestas radicalis solo  
 Papâ dispensante compleri potest in solo Sacerdote,  
 ut sit minister delegatus. Concessit illam Greg.  
 Papa can. *Peruenit.* 1. Dist. 95. ut possent Presby-  
 teri confirmare, ubi nullus haberetur Episcopus.  
 Omnis & solus baptizatus confirmari potest. Qui  
 usum rationis habuissent, nisi aliquando consense-  
 rint, non possunt confirmari; consenserunt autem  
 quòd sibi remedia salutis conferri voluerint saltèm  
 per quamdam voluntatem ge-  
 neralem.

THE

# THESIS XLIV.

## *Eucharistia.*

**T**ertium est Eucharistiæ Sacramentum, cujus materia est panis triticeus & vinum de vite Flor. Definiri potest: Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi, sub speciebus panis & vini institutum in animarum cibum & potum. Ad cujus proinde constitutionem pertinent tum species sacræ, tum Corpus & Sanguis Christi. Sacramentum tantum sunt solæ species consecratæ, Corpus & Sanguis Christi sunt partim Sacramentum partim res, res tantum est augmentum gratiæ cum nexu charitatis & unitatis. *In azymo, sive fermentato pane triticeo, Corpus Christi veraciter confici: Sacerdotesque in altero ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ, sive occidentalis sive orientalis consuetudinem, docet Eugen. Papa. IV. in defin. S. OEcum. Syn. Flor.* Quamvis dandum esset viaticum, Sacerdoti Latino in defectu azymi non licet consecrare panem fermentatum: sicut non potest consecrare propter hanc causam post sumtum prandium, omissis vestibus sacris aut extra altare. Vino ex sola necessitate præcepti admisceri debet modicum aquæ naturalis; quam censemus non converti in Sanguinem, nisi prius in vinum transmutetur Suar. Disp. 45. Sect. 4. Si vinum congeletur, dissolvendum erit ut possit licite consecrari; potest tamen consecrari valide dum manet congelatum, estque adhuc potabile secundum substantiam, & usus actualis non est de ratione hujus Sacramenti. Materia panis aut vini non habet certum terminum, sed in maxima  
& mi-

& minima quantitate validè consecrari potest : modo sit verè sensibilis , & moraliter tota simul sit præsens ut possit demonstrari. Quoad valorem necessaria sunt & sufficiunt sola hæc verba , aut quæ his substantialiter æquivalent : *Hoc est Corpus meum, Hic est calix Sanguinis mei.* Quæ verba Minister in Persona Christi profert non tantùm materialiter & historicè , sed formaliter & assertivè. Aliàs consecrare posset , qui nondum ordinatus narrative dicit hæc verba : aut licèt materia abesset , cùm sic prolata narratio adhuc sit vera. Propter efficaciam verborum fit vera transsubstantiatio , ut substantia panis ac vini tota destruat per actionem non annihilativam sed positivam , per quam separantur accidentia panis ac vini : his autem separatis substantia priùs sub illis conservata interire debet. Quod tamen Sacramentum sæpe vocatur panis , in quantum speciem sensibilem panis refert , sive quoad apparentiam sensuum. Manent tamen priora accidentia panis & vini , adeoque conservantur sola & sine subjecto substantiali , ut damnata sit in Conc. Constant. Sess. 8. hæc 2. propositio Joannis Wicleff: *accidentia panis non manent sine subjecto in eodem Sacramento.* Et licèt radicalis inhærentia à nullo accidente separari possit , separatur tamen inhærentia actualis. Quæ modaliter affiguntur substantiæ , non manent pereunte illâ. Christus ante sumtionem seu actualem usum , realiter ac indivisibiliter sine extensione locali continetur totus sub quavis specie & minima parte specierum , sub qua conservari potuisset panis aut vinum Trid. Sess. 13. Can. 1. Virtute verborum sub specie panis solum Corpus ponitur , sub specie vini Sanguis non Corpus. Utrobique tamen per concomitantiam ponitur tam Corpus quàm Sanguis , in quantum defacto connexionem  
realem

realem inter se habent. Actio per quam fit præfens, physicè terminatur ad entitatem Christi: neque in nuda verborum prolatione consistit, aut in actione tantùm unitiva cum speciebus, vel adductiva localiter; sed est productio & conservatio Christi sub sacris speciebus. Sumtio Eucharistiæ non est Sacramentum, sed Sacramenti usus; in qua Christus sacramentaliter & realiter manducatur. Unde dicitur Sacramentum permanens, quòd ante sumtionem habeatur: sicut & cibi comestio, præsupponit existentiam cibi ad usum actualem præparati. Neque usus virtutem transsubstantiandi accepit, sed verba Sacerdotis consecrantis; quibus dum rite consecrat absolute consecrat & nullam sumtionis mentionem facit. Sumtio cujuscunque speciei per se confert augmentum gratiæ, & nullum præceptum Divinum extat ut sumant Laici utramque speciem panis ac vini. Utramque speciem sumentis non confertur major gratia quàm sumentis unam seorsim, ceteris paribus ex parte sumentis: ut certum sit juxta Trid. Sess. 21. cap. 3. *nullà gratiã necessariã ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt.* Si tamen Sacerdos a bsumtã Hostiã meliùs ad fructum disponatur, in sumtione calicis acquireret augmentum gratiæ,

## THESIS XLV.

### *Necessitas Pœnitentiæ.*

**P**œnitere est de aliquo priùs à se factò dolere S. Th. 3. p. q. 85. a. 1. ☉. Quo latissimo sensu pœnitentia vocari potest quæcunque retractatio prioris facti quamvis non mali, strictiore sensu significat dolorem de peccatis. Dum elicitur sicut oportet, est vera virtus: & quoad habitum per se infusã,

æ in substantia supernaturalis. Non identificatur cum Charitate aut Religione, sed constituit virtutem specialem distinctam à reliquis seu Theologicis seu moralibus; ut tamen sit virtus generalis quoad causalitatem, imperium & materiam. Subjectum proximum hujus virtutis est voluntas, remotum est omnis ac sola persona peccabilis. Objectum materiale quoad profecutivos actus sunt omnia & singula bona, quæ ad expiationem peccati juvant: objectum fugæ est culpa & pœna cum omnibus & singulis malis, quæ inducunt ad peccatum aut expiationem ejus impediunt. Generaliter sumpta pro tota collectione virtutum, non habet unum motivum specificum: si antonomastice sumatur, motivum ejus est destructio peccati ut expiabilis per actus pœnitentis, seu honestas relucens in hac destructione. *Fuit quidem Pœnitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam & justitiam assequendam necessaria* Trid: Sess: 14. cap. 1. ut nullum mortale hic & nunc remittat DEUS, si neque virtualis pœnitentia habeatur. Quando commissum est peccatum, *bonum est pœnitere an non? quid revolvis, DEUS præcipit* Tertull: de Pœn: c 4. Præceptum tamen illud non statim per se obligat, nè ex hac obligatione sequatur majus detrimentum quàm emolumentum sperari possit: dum propter ingentem difficultatem peccator vix unquam pœnitentiam eliceret post suum peccatum, sed omisâ illâ in novum peccatum incurreret. Scriptura quidem & PP. utilitatem in anticipata pœnitentia commendant, non tamen præcepti obligationem inducunt nisi dum urget necessitas pœnitendi. Licèt fiat aliqualis dilatio quando non urget præceptum pœnitendi, non ex hoc approbatur peccatum sed tantùm permittitur durare moraliter. Unde in suo peccato habituali manere volens per  
actum

actum permissivum tantum, non peccat: dummodo non approbet suum peccatum. Quoad actualem affectum *nec per modicum tempus licet in peccato morari, sed quilibet tenetur peccatum statim deserere* S. Th. 2. 2. q. 62. a. 8. ☉. Fur statim tenetur restituere, quam & primum potest: quia Dominum invitum impedit ab usu suarum rerum, non tantum injuste alienum accepit sed illud insuper injuste detinet, ut novum detrimentum Dominus patiatur ex re non restituta. DEO vicissim non infertur novum damnum in bonis utilibus, ut injuria nova fiat si actum poenitendi aliquamdiu differamus. Peccanti post Baptismum moraliter, jure Divino necessarium est Sacramentum Poenitentiae saltem in voto Trid. sess. 14: hic can. 6. aut tales peribunt in peccato, nisi eis Sacerdotali auctoritate subventum fuerit Fab. Papa, ep. 2. Et si tenetur suscipere Baptismum, licet contritio quam catechumenus habet jam ante Baptismum justificare contritos possit: sic quoque adultus qui post Baptismum peccat confiteri tenebitur, etiamsi sciat se esse contritum. Imò contritio peccatum ex hoc remittit catechumenis ante Baptismum, quod Baptismi votum includat: peccatoris autem baptizati peccatum tollit, quod votum includat Sacramenti Poenitentiae. *Est autem hoc Sacramentum Poenitentiae lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus* Trid: cap. 2. Nullum tamen extat praeceptum confitendi quamprimum quis peccat, dum sola confessio annua fidelibus praescripta est praecepto Ecclesiae cap. *Omnis utriusque sexus*, 12. de poen. & remiss. Vi cujus praecepti Ecclesiastici si quis mortaliter peccasset, tenetur semel in anno confiteri proprio sacerdoti. Qui designatum tempus neglexisset, tenetur confiteri sequenti anno quam primum potest: sicut qui censum assignato tempore solvere

negle.



neglexisset, adhuc obligatus est ad exolvendum censum. Dum autem damnata est ab Alex: Papa VII. hæc 14. propositio: *qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ*; non ex hoc censemus insufficientem esse confessionem informem, si fuit valida. Etiam si fructu Sacramenti careat, adhuc est verum Sacramentum: consequenter homo per illam satisfacit præcepto Ecclesiæ. Sicut qui Missam diebus festis infructuosè audiret, adhuc satisfacit præcepto Ecclesiæ.

## THESIS XLVI.

### *Contritio perfecta.*

**C**ontritio ut sic *animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero* Trid. sess. 14. cap. 4. Quando perfecta est, procedit ex motivo charitatis: ut sit virtualis saltem amor DEI, appetitativè dilecti super omnia. Propter infallibilem concomitantiam, eodem existentiae suæ instanti formata est per gratiam sanctificantem: licet activè non procedat à gratia aut ab habitu charitatis in peccatore, quem ad justificationem disponit. Dum ex motivo charitatis peccatum fugit, hæc fuga peccati fertur in culpam commissam detestatione formali, ut simul contineat virtuale propositum nè homo peccare in futurum velit. Secundùm substantiam æquales inter se omnes, intensivè sunt inæquales propter inæqualem conatum pœnitentis. Quisque tamen contritus detestatur peccatum magis quàm mortem aliâque mala quæ nullam peccati malitiam involvunt, fitque in actu exercito virtualis comparatio cum malo distincto à peccatis: licet non omne peccatum detestetur affectu summo dum sola pecca-

ea invicem ad se comparat respectu sui, sed magis  
aversatur quæ sunt graviora. Imò verè contritus  
detestatur commissam culpam præ pœna : conse-  
quenter casu quo esset alterutrum eligendum, in  
hac non repugnante hypothese malum gehennæ  
tolerare æternùm mallet quàm DEUM offendere.  
*Si hinc peccati pudorem, & illinc cernerem inferni  
horrorem, & necessariò uni illorum haberem immergi:  
prius me in infernum mergerem, quàm peccatum  
in me immitterem. Malim enim purus à peccato &  
innocens gehennam intrare, quàm peccati sorde pol-  
lutus colorum regna tenere* S. Ansel. de simil. c. 190.  
Quamvis æternus cruciatus inferni verum homini  
nocumentum inferat, cùm nullum reale nocumen-  
tum DEUS patiatur commissâ culpâ : est tamen eli-  
gendum potiùs damnum proprium infernalis pœnæ,  
ut DEI offensâ per hoc vitari possit. Et quia peccatum  
bonitatem Divinam lædit : ut homo potiùs peccatum  
fugiat seu malum Divinum evitando offensam DEI,  
quàm suum hominis quodcunque physicum malum,  
hæc fuga naturæ rationali volenti pœnam præ cul-  
pa unicè in se convenit. Nempe lumen rationis  
naturalis dicitur ut malum fugiat : & gravius malum  
est magis fugiendum, adeòque culpa præ pœna.  
Peccatum insuper est malum morale, pœna est malum  
physicum : proinde gravius malum est culpa, fugâ-  
que majori dignum. Quo casu visione beatifica  
spoliari volet per solum affectum conditionatum,  
si ex supposito deberet aut culpam incurrere aut eli-  
gere pœnam ; sed adhuc affectivè possidebit DEUM,  
cui saltem morali unione unitus manet. Nos pœ-  
nam latius acceptam in hoc eventu sumimus : ut  
solum eligatur infernalis pœna quæ talis, peccatum  
postponendo reali & purè physico detrimento homi-  
nis, quod malum inferni hic & nunc annexum habet.

Qui propter motivum universale actu efficaci peccatum fugit, dum unum aliquod detestatur simul detestatur omnia quotquot in ea ratione connectuntur. Sicut qui metu gehennæ de commisso furto dolet, jam saltè virtualiter detestatur homicidium & omne peccatum inductivum ejusdem pœnæ. Imò per actum implicitum detestatur mortalia, qui actu expresso veniale peccatum odit ex puro motivo charitatis. Quia tamen sæpe actualis affectus manet respectu venialium dum quis mortalia abhorret, neque ad idem motivum veniale reduci potest: non omnis detestatio peccatorum mortalium ex tali motivo elicitæ, est simul detestatio peccatorum venialium. Necessaria non est ad perfectam contritionem certa duratio, vel intensio absolutè aut comparativè summa, in dolore & amore: imò nec certa intensio necessaria est, finè qua DEUS *quantulamcunque tamen & quamlibet brevi tempore gestam non respuit pœnitentiam* can. *Talis* 28. de Pœn. Dist. 3. Plenam peccati remissionem DEUS veræ contritioni promisit, neque hæc DEI promissio absoluta restringitur ad actum solius contritionis intensæ. Si actus peccati non intensus tollit gratiam, non minùs contritio secundùm substantiam suam in gradu quocunque intensio- nis peccatum tollet. *Quantumcunque parvus sit dolor, dummodo ad contritionis rationem sufficiat, omnem culpam delet* S. Th. 4. Dist. 17. q. 2: a. 5. q. 3. ☉. ut pœna temporalis totaliter deleatur, multum juvat intensa contritio aut dilectio; eoque sensu Scriptura contritionem intensam suadet, non tamen præcipit. Ut autem tollatur culpa quæ talis, eadem dispositio sufficit seu plura peccata sint tollenda sive unicum: eademque gratia majus & minus mortale à subjecto tollit. Contritio aut dilectio DEI est quidem appetiati- vè summa, non tamen excessu intensivo,

tenſivo. Aut eſt intenſivè ſumma, ut tantùm habeatur intenſio objectiva ſumta pro ſolo exceſſu appreciativo amantiſ DEUM : quin tamen habeatur intenſio ſubjectivè ſumma, quæ dicat exceſſum gradualem fiatque ſummo conatu qui haberi poteſt. Et talis intenſio ſubſtantialis deſumitur à ſumma motivi dignitate, eamque omnis contritio in ſubſtantia ſua includit ut ex hoc dicatur ſumma. Sic licet veritati demonſtratae homo per actum ſcientificum aliquando magis intenſivè adhæreat, præfert huic tamen veritatem revelatam. Neque requiritur certa duratio temporis; ſed ſicut peccatum rationem peccati habet mox primo inſtanti quo commiſſum fuit, ac totam gratiam demeritoriè deſtruit : ſic primo inſtanti contritio ad juſtitiam diſponit dandam à DEO, eaque ratione peccatum tollit. *Miferans miferetur tui, ad vocem clamoris tui ſtatim ut audierit reſpondebit tibi* II. 30. v. 19.

## THEſIS XLVII.

### *Efficacia Pœnitentiæ cum plena reviviſcentia meritorum.*

**N**ulla peccatorum gravitas aut numerus assignari poteſt, quem Pœnitentia vera non tollat. DEUS etiam *nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti* 2. Petri 3. v. 9. nulli negat auxilium gratiæ pro actu pœnitendi : & hoc excitatus quiſque *per veram poteſt ſemper pœnitentiam reparari* cap. *Firmiter.* de Sum. Trin. Relapſis quoque peccatum de novo remitti poteſt, dum non minorem vim habet ſeconda contritio quàm prima. Omnium peccatorum veniam DEUS pœnitenti offert Ezech, 18. & quid-

quid Sacramentum Pœnitentiæ peccatorum tollit, juxta Trid. sess. 14. cap. 4. expiabile est per actus pœnitentis; intra hoc autem peccata omnia & omnibus remitti possunt, *quorum remisistis peccata remittuntur eis* Joan. 20. v. 23. *quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo* Matt. 18. v. 18. Et est simpliciter infinita misericordia DEI, quam nulla peccatorum gravitas aut numerus exhaurire potest: ut nullum essentialiter sit irremissibile ab intrinseco. Aut tale peccatum argueret misericordiam DEI non esse infinitam, sicut improducibilis creatura argueret non esse infinitam omnipotentiam DEI. Si DEUS revelaret nihil se Cajo peccanti remissurum, discrepens Cajus peccatum committeret ab extrinseco tantum irremissibile, quod DEUS mutare absolutum decretum suum non possit. Eodem prorsus modo si DEUS alicui condonare furtum nollet alioqui remissibile: dum stante divina revelatione furatur, furtum non fiet essentialiter in se irremissibile. Sicut si DEUS peccata impofterum punire nollet, qui tamen supponens revelationem peccaret, non inde committeret peccatum impunibile. Imò si nullum peccatum remittere deinceps velit, hoc DEI decretum jam supponit esse remissibile ex intrinseco suo conceptu, quem mutare DEUS non potest. Fingamus efficax decretum DEI quo nollet chimæram producere, jam per hoc supponeret produci eam posse: aut esset decretum ridiculum, quo DEUS chimæram aliunde inferepugnantem creare nollet. Remissis mortalibus unà cum culpa remittitur æterna pœna, ut homo infusâ gratiâ fiat hæres salutis; licet non semper condonetur tota pœna temporalis. Probant hoc satis Purgatorium aut indulgentiæ, uti & constans Ecclesiæ usus dum pœnas imponit persolvendas remisâ culpâ. Et quamvis peccato jam remisso DEUS omnium oblitus fuerit, in quantum privatum pœnitentis amicum

cum agit: est tamen etiam Legislator publicus, qui bonum commune procurando tanquam legum vindex pœnas temporales infligat; ex nullo affectu odij si jam pœnitens reddatur justus post culpam benevolè remissam, sed ex amore justitiæ quâ legum transgressores punit. Sic homo injuriam dissolutivam amicitiae pro sua libertate condonare potest, ut tamen satisfactionem exigat pro damno illato. Quod jam est remissum, nunquam in se redit formaliter per subsequens peccatum: *sinè pœnitentia enim sunt dona & vocatio DEI* Rom. II. v. 29. Aut æquè peccatum originale rediret dum peccat baptizatus, & expiari posset per novum Baptismum. Imò si DEUS peccatum infidelitatis sive desperationis remisit, & furtum deinde committatur: rediret vi furti peccatum infidelitatis sive desperationis, sublato per furtum habitu supernaturalis fidei quod salvâ doctrinâ Catholicâ admitti nequit. Et prava dispositio condonatae avaritiæ per novum peccatum prodigalitatis rediret, cùm tamen prodigalitas opponatur avaritiæ. Idem de pœna dicendum, quæ dum est remissa nunquam per novum peccatum in se redibit can. *Divina*, 24. de Pœn. Dist. 4. Dúmque condonata absolutè pœna non redit formaliter ratione peccatorum sequentium, nec culpa redibit: alioqui DEUS impunitum peccatum esse non vellet. Quæ tamen *redire dicuntur, in quantum reatus eorum ratione ingratitude virtualiter continetur in peccato sequenti* S. Th. 3. p. q. 88. a. 2. ☉. vel redit eadem peccati pœna secundum speciem, non verò secundum quod jam est remissa culpa aut pœna. *Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus* Jac. 2. v. 10. factus est reus secundum rationem communem, quòd propter quodlibet mortale rursus privetur gratiâ, & pœnam æternam pro peccatis suis de novo mereatur.

Verum est DEUM recordari meritorum quia per nullum peccatum simpliciter sublata erant, sed tantum fuerunt mortificata. Vicissim post actam pœnitentiam peccati præteriti, jam tale peccatum absolute sublatum fuit; nec DEUS retinet memoriam practicam si novum peccatum committatur, ut hac ratione redire possint. Et circa merita DEUS non habet decretum absolutum nunquam præmiandi honestos actus, si merens mortaliter deinde peccaverit; sed tantum decreto conditionato quasi executionem suspendit, nè detur præmium æternum si quis in peccato maneat usque ad mortem. Sublato igitur peccato opus meritorium per pœnitentiam plenè ad suum valorem reviviscet, quem habebat ante peccatum: *non enim injustus DEUS ut obliviscatur operis vestri & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius* Hebr. 6. v. 10. Et nisi merita sublato plenè peccato redeant, adhuc pro tali peccato puniremur æternâ pœnâ, quod DEUS gratiam negaret ante peccatum debitam. Dum semel acceptata erant à DEO, retinent rationem meriti: quamvis in statu peccati impedita effectum suum non præstent. Nullumque subsequens peccatum facit nè facta fuerint in gratia, jamque à DEO acceptata; unde si obex extrinsecus tollatur, habent totam priorem efficaciam. Sicut sol nube remota mox producit lucem. Ad vitam æternam profutura docet Trid. *sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint, sive amissam recuperaverint.* Sess. 6. cap. 16. Dum obex sublatus est, ut jam peccatum cesset & prior gratia reviviscat: gratia illa non tantum præsentis dispositioni respondet, sed juxta prioris meriti mensuram datur: & præsens dispositio respectu reviviscentiæ per modum solius conditionis concurrat, in quantum obicem peccati removet quo valor meritorum durante adhuc peccato impeditus fuit.

Quod

Quod quia quælibet contritio removet ut tollat impedimentum, nihil hîc obest contritio remissa gradualiter. Unde si homo remissè conteratur: infundet DEUS remissam gratiam, sumendo illam in quantum præsentî dispositioni responderet; & simul gratia reddetur, prout priori merito in gradu correspondens. Contritio peccatoris, prout sumitur respectu gratiæ de novo collatæ pœnitenti, quoad illam positivè disponit. Dum autem sumitur respectu antiquæ gratiæ in quantum redeuntis sublatâ culpâ, quoad illam disponit negativè tantùm in quantum obicem peccati removet. Sic ventus disponit negativè tantùm, nubem removendo obstantem soli.

## THESIS XLVIII.

### *Sacramentum Pœnitentiæ.*

**Q**uartum Sacramentum est Pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis Flor. contritio, confessio & satisfactio. Neque dum quasi materiam Florentinum illos actus vocat, intellexit materiam veram non esse: aut pari ratione Christus non esset unigenitus Filius DEI, cujus gloriam vidimus quasi unigeniti à Patre Joan. I. v. 14. Fortè hac voce innuebat eos non esse aliquid corporeum, constans materiâ physicâ (sicut dum aquâ naturali baptizamus) licèt per verba sacerdotis ultimò compleantur Satisfactio tantùm est pars integralis, sinè qua posset obtineri substantia Sacramenti. Unde priusquam pœnitens impositam sibi pœnitentiam peragat, suscepit verum Sacramentum: neque censetur Sacramentum invalidum, si nulla injungatur. Quæ tamen satisfactio dum post absolutionem peragitur, potest causare remissionem peccati quantum ad pœnam expungendam: imò in voto



accepta remissionem peccati causat, & culpam destruit productâ gratiâ, prout inclusa est in dolore. Quia verò contritio satisfactionem aliquomodo in voto includit, sufficienter formari potest dum formam legitimam Sacerdos pronuntiat. Ut forma habeatur, opus est verbis formalibus prolatis vocaliter; quæ juxta Flor. Sacerdos profert cum dicit. Consistit in his duobus verbis: *absolvo te.* Sensus est: confero tibi gratiam de se remissivam peccati; qui sensus verborum verificatur quocunque casu fit verum Sacramentum, quòd conferatur saltèm radicalis gratia. *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, habens auctoritatem absolvendi vel ordinariam vel ex commissione superioris* Flor. qui semper formale judicium exercet, quando præmissâ confessione absolvit. Potest absolvere moribundum, qui confessionem sensibilem fecisset saltèm per signa vel testes: absentem verò non potest. Materia remota est peccatum, tam internum quàm externum. Qui actus exterior etiam si nullam specialem malitiam ad actum internum superaddat, peccatum tamen in quantum opere consummatum integrat ut saltèm explicari à pœnitente possit in venialibus, & necessariò explicandus sit in mortalibus. Mortalia subjecta priùs clavibus, aut solùm veniale, sunt materia non necessaria sed sufficiunt pro absolutione. Unde jam semel absolutus, secunda vice peccatum confiteri potest. Quod licèt virtute clavium nunquam ampliùs remitti possit in actu secundo, adhuc pœnitens acquirit augmentum gratiæ. Satis est formam conferri pœnitenti, de se remissivam peccati. Sic quando contritus confitetur peccata jam priùs remissa, absolutio effectu suo non caret. Mortale nunquam subjectum clavibus est materia necessaria saltèm sequentis confessionis, si aliquorum pœnitens oblitus est in priori

Alex. Papa VII. damnans propositionem IX. Sicut si forte debitor oblitus fuisset solvere, non inde expunxit obligationem solvendi. Quæ licet remittantur indirectè solùm, quòd adsit propositum confitendi explicitè: adhuc obligatus est ad confitendum, postquam memoriæ pœnitentis occurrerint. Sic quia perfecta contritio peccatum tollit per votum explicitè confitendi mortalia, adhuc ad ea confitenda contritus obligatur. Explicari debet species & numerus mortalium, ut etiam teneatur complicem, revelare qui aliàs peccatum suum non posset integre confiteri. *De nullo prorsus sinistre loquaris quantumcunque sit verum vel manifestum, nisi in confessione: & hoc ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum* S. Bern. inter brevia documenta Religiosè vivendi. Nempe in justo iudicio quicumque potest delictum cognoscere, habet jus simul cognoscendi rationes omnes, & omnes circumstantias necessarias ad plenam cognitionem: & qui delinquentem legitimè accusat, simul jus habet detegendi rationes omnes cum quibus ejusmodi delictum connectitur, ut plenè innotescat etiamsi opus esset detegi personam complicis. Qui complex delicti alieni fuisset, sponte se fecit socium patrati criminis: & quando accusatur commune utriusque crimen, subjacet eidem iudici prout necesse est ad delictum plenè cognoscendum. Unde jus famæ amisit alieni delicti complex, dum iudex ejusmodi delictum examinat. Nec fama lædetur infamatione formali: & quia pœnitens obligatur integre hoc suum peccatum confiteri, censetur talis integritas legitima causa, quâ stante peccatum alienum revelet unà cum suo. Nullum quidem præceptum positivum juri naturali obstare potest, si adhuc retineat priorem materiam; sed postquam præceptum positivum plenè confitendi fuisset

set latum, non habet eandem materiam præceptum de non infamando. Unde jam nulla infamia formalis committitur, ut per hoc violemus præceptum naturale. *Circumstantiæ aggravantes quæ aliam speciem peccato non tribuunt, vel quæ tribuunt quidem sed non mortalis peccati, non sunt de necessitate confessionis: tamen eadem confiteri perfectionis est, sicut & de venialibus dictum est S. Th. 4. Dist. 16. q. 3. a. 2. q. 5. ☉.* Et dum Tridentinum circumstantias explicandas esse docet, non factâ mentione purè aggravantium expressè addit constare fidelibus quidnam ex parte pœnitentis requiratur cap. 5. satis est plenè explicari speciem & numerum peccatorum; quibus duobus explicatis Sacerdos in quantum medicus animarum vulnera, ut judex delictum cognoscere & judicare quoad substantiam peccati potest. Dum circa valorem propositum versatur, sequi non licet sententiam aliquorum probabilem hoc sensu relictâ tutiore, ut qui Sacramentum ministrat velit adhibere materiam sive formam tantùm probabilem omittendo certam; non tamen alias propositiones prohibet. Sic nostra inquirat necessitatem præcepti, an detur obligatio confitendi circumstantias purè aggravantes: ubi diversum est de valore loqui, aut certa obligatione. Sicut calicem consecrantes obligantur graviter ad aquam miscendam, etiamsi solum vinum posset consecrari omisâ aquâ ut adhuc fieret Sacramentum validum,



# THESIS XLIX.

## *Valor informis in hoc Sacramento.*

**P**otest Sacramentum Pœnitentiæ esse validum, & informe ex defectu doloris extensivi: & quamvis tunc non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet, sicut etiam est & in alijs Sacramentis. Unde non tenetur iterare confessionem qui fictus accedit, sed tenetur postmodum fictionem suam confiteri S. Th. 4. Dist. 17. q. 3. a. 4. q. 1. ☉. In quantum ratio Sacramenti solum petit esse causativum gratiæ, in suo conceptu intrinseco salvari potest quin actu conferatur gratia dum obex negativus obstat. Et sicut sufficit confessio dum est formaliter integra de solis peccatis memoriæ hîc & nunc occurrentibus, eodem modo sufficit contritio saltèm formaliter integra ut valor Sacramenti habeatur. Licèt quis tantùm dolorem particularem præmittat, potest hic dolor reddere Sacramentum validum: neque hoc sine contritione de se universali opus est. Juxta Tridentinum tota Sacramenti substantia obtineri potest, dum homo præmittit attritionem conceptam ex sola turpitudine peccati specifica; qui dolor conceptus de peccato, tantùm est dolor particularis. Unde qui tria peccata confitetur oblitus quarti, hoc casu substantiam Sacramenti constituet dolor de tribus peccatis quæ nunc exponit: licèt ob solam specificam eorundem malitiam (sive non quartum attingendo) conceptus esset. Nec fiet sensibilis peccatorum attritio nisi de tribus peccatis, ac proinde solus hic dolor Sacramentum constituet quoad substantiam Sacramenti, Propter quam causam completum Sacramentum

tum haberi potest, quin adsit dispositio pœnitenti  
necessaria ad fructum consequendum, sive quin fiat  
remissio peccatorum mortalium dum obex negati-  
vus adest. Sic quoque attritio aliquando requiritur  
ad fructum consequendum, licet non intret quiddi-  
tatem intrinsecam Sacramenti. Sicut qui fictè fuis-  
set baptizatus, dolere debet de suis omnibus pec-  
catis nondum remissis, etiam quæ ante Baptismum  
à se commissa erant; quæ tamen attritio peccato-  
rum priùs commissorum impertinens erit, ut valor  
Sacramenti habeatur. Verum est omnem attriti-  
onem aut confessionem quoad se sumtam sufficere  
in substantia sua, ut quando componit Sacramen-  
tum fructus Sacramenti haberi possit si eam attenda-  
mus ratione sui, & fiat remissio peccatorum mor-  
talium circa quæ actu versatur contritio aut confes-  
sio; contingit tamen ut adhuc habeantur alia quæ  
non fuerint retractata: stante autem tali obice ne-  
gativo fiet quidem Sacramentum validum, sed fructu  
destitutum. Neque à DEO impetrabit veniam  
peccatorum nisi quæ homo retractat, & remisso  
uno mortali simul remittuntur omnia: consequen-  
ter si quis plurium mortalium reus sit, dolorem uni-  
versalem habere debet ut fructum Sacramenti con-  
sequatur. Quam honesto actu potest concipere  
ex metu gehennæ & pœnarum Trid: Sess: 6. Can. 8.  
*Timet nè mittatur in gehennam? bonus est & iste  
timor, utilis est* S. Aug: Pl. 127. Damnat etiam A-  
lex. Papa VIII. hanc 15. propositionem: *attritio  
quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur sine dile-  
ctione benevolentia DEI propter se, non est bonus mo-  
tus ac supernaturalis*; non propugnandam etiam dis-  
putativè sub pœna excommunicationis. Neque  
hic actus vitiari potest si metus gehennæ tantum sit  
finis proximus, & non excludat alia motiva, cum  
peccatum

peccatum multas alias deformitates habeat propter  
 quas dignum sit fugâ etiam si gehenna non daretur.  
 Unde quod nullum aliud motivum modò occurrat,  
 pœnitens sistit in fuga inferni præcisivè, sed non po-  
 sitivè: ut servilis quidem sit metus gehennæ prout  
 opponitur timori filiali, non tamen servilis serviliter,  
 quasi peccatum vitare nollet si pœna inferni post com-  
 missum peccatum non esset subeunda. Attritio in-  
 tra Sacramentum Pœnitentiæ sufficienter disponit,  
 neque est opus perfecta contritione *Can. si Presby-  
 ter. 12. XXVI. q. 6. si Presbyter pœnitentiam morien-  
 tibus abnegaverit, reus erit animarum*, quòd pro-  
 pter defectum absolutionis damnandæ essent; si au-  
 tem contritio fuisset necessaria, nullus ex solo defe-  
 ctu absolutionis damnari posset. Si fuit contritus  
 qui decedit ex hac vita, salvabitur etiam si absolutio  
 data non esset: si desit perfecta contritio juxta ad-  
 versarios absolvi nullus potest, cum desit sufficiens sub-  
 jecti dispositio si actus perfectæ contritionis præmitti  
 debet.

## THESIS L.

### *Extrema Unctio, Ordo & Matrimonium.*

**Q**uintum Sacramentum est extrema Unctio, cu-  
 jus materia est oleum olivæ per Episcopum  
 benedictum *Flor. & unctio infirmi facta hoc*  
 oleo in organis quinque sensuum, est materia pro-  
 xima. *Forma hujus Sacramenti est: per istam un-*  
*ctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat*  
*tibi Dominus, quidquid per visum &c.* *Flor.* Essen-  
 tialiter est deprecativa, sed proferenda certis verbis  
 aut

aut quæ his æquivalent. Pro arbitrio suo non minùs alligare Christus potuit significationem practi-  
cam formæ deprecativæ, quàm indicativæ. Licèt  
autem non sit deprecatio efficax prout est opus pec-  
catoris operantis: adhuc tamen efficax est ex ope-  
re operato. *Effectus gratia est Spiritûs Sancti; cu-  
jus Unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac pec-  
cati reliquias abstergit &c.* Trid. Sess. 14. hìc cap. 2. In  
quantum consummativum est Sacramenti Pœnitent-  
tiæ, ut supponat in Ministro potestatem peccata re-  
mittendi: *Minister hujus Sacramenti est Sacerdos Flor.*  
& in licita collatione proprius Parochus, aut cui fa-  
cultatem dedit. Apostoli quidem priusquam Sacer-  
dotes essent consecrati, *ungebant oleo multos ægros*  
Marc. 6. v. 13. sed tantùm unctioe sanativâ, non ve-  
rò Sacramentali. unde talis unctio fiebat etiam in  
non baptizatis, & corporalem tantùm sanitatem  
spectabat. *Hoc Sacramentum nisi infirmo, de cujus  
morte timetur, dari non debet* Flor. cujus subjectum  
remotum est solus homo viator baptizatus, qui ali-  
quando fuerit ratione usus, vi morbi in magno pe-  
riculo mortis constitutus: subjectum proximum sũnt  
organa quinque sensuum. *Sextum Sacramentum  
est Ordinis, cujus materia remota est illud per cujus  
traditionem confertur Ordo* Flor. traditio est materia  
proxima. Septem distinctos ordines numeramus,  
qui unitate finis sint unum Sacramentum: ità distri-  
butos, ut qui jam Clericali tonsura insigniti essent, per  
minores ad majores ascenderent Trid. Sess. 23. cap. 2.  
unde prima tonsura non est ordo, neque Sacramen-  
tum. *Ordinarius Minister hujus Sacramenti est Episco-  
pus* Flor. à quo omnis & solus masculus baptizatus po-  
test ordinari validè, licèt sit infans aut amens. *Se-  
ptimum est Sacramentum Matrimonij, quod est  
signum conjunctionis Christi & Ecclesiæ* Flor. Nun-  
quam

quam celebrari à baptizatis potest in ratione contractus validi, quin fiat Sacramentum. Neque Christus contractum matrimonialem mutavit in naturam suam, sed tantum contractum validum elevavit ad rationem signi causativi gratiæ: ut dum inter baptizatos sit contractus legitimus & sufficiens ad rationem Matrimonij, sit verum Sacramentum. Sicut licet baptizans Sacramentum conferre nolle; si tamen præscriptam materiam Baptismi ponat & formam, exercere volens quod Christus instituit & quod Ecclesia facit, sit verum Sacramentum. Materia proxima & forma, est mutua corporum tum traditio tum acceptatio, signis externis manifestata. Concilium Tridentinum nihil immutavit quoad substantiam, irritando contractum clandestinum. Neque potest mutare materiam sumtam formaliter, sive quamdiu prædicatum retinet à Christo designatum. Christus autem contractum legitimum assignavit, contractus verò clandestinus jam est invalidus: ut Ecclesia indirectè solùm mutarit materiam. Sicut si quis acetum faceret ex vino usuali ut corrumpatur vinum, mutaretur materia Eucharistiæ tantum materialiter. Minister non est Sacerdos Matrimonio assistens, sed qui contrahunt: dum Christus volebat eosdem esse Ministros hujus Sacramenti, qui sunt Ministri quoad contractum validum. Est tamen Sacerdos Minister Matrimonij quoad accidentalem cæremoniã benedictionis præscriptæ ab Ecclesia, quæ benedictio non est de substantia. Hinc non adhibetur in secundis nuptijs, neque in primis tempore adventus & quadragesimæ. Inter B. Virginem & S. Joseph, salvâ virginitate fuit verum Matrimonium.

A. M. D. G.

OLOMUCII, Typis Joannis Josephi Kylian.





